


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Gt
37
25



Gt 37.25



Harvard College Library

THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

1 Nov. 1892.



DE

THEONE GRAMMATICO
EIUSQUE RELIQUIIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

CAROLUS GIESE


DRESDENSIS.

MONASTERII

TYPIS IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXVII.


Gt 37.25



Salisbury fund

PATRI SACRUM

Gt 37.25



Salisbury Fund

PATRI SACRUM

Historiam graecae grammaticae perscribendi qui molestissimum ac difficillimum sibi imposuerit negotium, frustra requires; prolata quidem in lucem est a Graefenhanio philologiae classicae historia, quae tamen omnium virorum doctorum consensu abortus magis, quam maturus habendus est fructus, id quod sane non mirum est ob ingentem copiam grammaticorum, quorum nomina ac fragmenta sparsa confusaque aut apparent in veterum scriptis aut etiamnunc latent in libris manuscriptis ineditis. Quae componendi atque ad imagines auctorum conferendi nimium est negotium, quam ut unius humeris imponi possit. Quamobrem et ipse Ritschelius, vir scientiae copia, acumine ingeniique dotibus egregie praeditus, quamquam historiam graecae grammaticae moliri se in prolegg. ad Theodul. pg. XI et in comment. de Oro § 1 indicabat, non iam tenax videtur huius consilii. At etiamsi huc usque universae grammaticae historia nondum conscripta est, derelictus tamen hic locus philologorum studiis nequaquam potest appellari. Plurimi enim singulos grammaticos commentati sunt singulari scriptione ab ipsis principibus exorsi, quos longum est enumerare omnes. Multi vero restant grammatici, de quibus uberius huc usque non est actum, quamquam humili loco non sunt habendi ex eorumque fragmentorum perscrutatione lux haud exigua ad nonnullas grammaticae disciplinas redundare potest. Quorum in numerum prae ceteris referendus videtur Theon grammaticus, qui dignus est, de quo fusius agatur. Cur autem de Theone uberius disserere mihi proposuerim quamque rationem inierim hac in materia tractanda, paucis exponam.

De Theone grammatico quae scripta sunt, nituntur fere omnia Hesychii epistola ad Eulogium lexico praemissa, in qua Theon et Didymus collegisse dicuntur *λέξεις κωμικὰς καὶ τραγικὰς*, quas Diogenianum recepisse in glossarum collectionem manifesto Hesychius profitetur. Diogeniani vero glossas Hesychius auctas et emendatas iterum edidit, unde Hesychii lexicon continere patet et ipsas glossas a Theone scriptas.

Hac vero de Hesychii epistola vehemens exorta est disceptatio inter viros doctos, quorum alii tam ineptam esse contenderunt epistolam, lexicon vero tam praeclarum, ut glossarii conditor prudentissimus habendus vir, scriptor epistolae contra ut ultimi aevi Graeculus contemnendus esset, alii vero superiorum refutantes sententiam epistolae veritatem et cum ipso lexico concinnitatem demonstrarunt. Quam totam non meum est persequi disceptationem. Sed omnium de Hesychii epistola commentationum in describendis Theonis studiis grammaticis magis minusve habenda est ratio, quippe quum in omnibus de Theone illa in epistola commemorato dicendum fuerit. His exceptis alii quoque viri docti aliis de rebus scribentes Theonem grammaticum commemorant alius aliam de illo ferentes sententiam, in quorum numero potissimum qui memoretur dignus est Ahrensius, qui, quum Theon quidam inter Theocriti interpretes nominetur, in prolegg. ad scholl. bucoll. gr. tom. II pg. XXVII—XXXI nonnulla affert de Theone haud despicienda. Et ipse M. Schmidtius, commentationibus de grammaticis nonnullis publice datis de historia graecae grammaticae bene meritus*), commentatiunculam scripsit de Theone grammatico tanquam appendicem dissertationum de Didymo scriptarum. Haec tamen commentatiuncula solam fere Theonis fragmentorum comprehendit collectionem neque speciem prae se fert quaestionis, cui toti abunde sit satisfactum.

---

*) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 1853. pg. 523—526.

Quae quum ita sint, hac causa permotus gravissima, quod huc usque nullus homo quantum scio peculiari libello Theonis effigiem quasi pulvere obductam e situ tenebrisque in luce collocavit clariore, non spero opera et otio me fuisse abusurum, si, quae de Theone adhuc exstant quum ex antiquitatis tum recentioris temporis scriptoribus testimonia, denuo summa cum cura collegerim atque inter se comparaverim, neque puto acta me agere, sed, quum nihil sit in studiis parvum, conferre aliquid ad grammaticae graecae historiam componendam.

Rem vero meam ita instituam, ut

primum de diversis agam Theonibus, qui a veteribus scriptoribus commemorantur,

deinde e magno virorum, quibus nomen est Theon, numero quis Theon fuerit grammaticus demonstrem;

tum de operibus, quae illi sint vindicanda, mihi erit disputandum deque fragmentis, quae sparsa apparent, Theonis nomine aut adiecto aut omisso, in veterum lexicis ac scholiis.

I.

De diversis Theonibus.

Multi sunt scriptores, quibus Theon est nomen quorumque aut scripta etiamnunc manibus terimus integra aut fragmenta sola innotuere aut nominum certe apud veteres scriptores fit mentio. Quos quum constet a recentioribus scriptoribus saepenumero confusos esse, necesse mihi videtur ut agatur de omnibus.

Anno saeculi decimi septimi nonagesimo primo Ienae Schmidius de Hipparcho, Theonibus et Hypatia emisit dissertationem, quam ad manum mihi non fuisse frustraque a me in bibliothecis quaesitam esse maximopere doleo.[1]) Quorum igitur Theonum mentionem fecerit Schmidius, prorsus ignoro. Qui praeter illum diversos laudant Theones, Ionsius, Vossius, Saxius, Hambergerus, Schoellius, Fabricius, Westermannus, Paulyus, alii, in libris suo loco indicandis, imprimis vero I. de Gelderus, qui paulo fusius omnes fere, qui commemorantur, Theones recenset in prolegomenis ad „Theonis Smyrnaei Platonici expositionem eorum quae in Arithmeticis ad Platonis lectionem utilia sunt (Lugd. Bat. 1827), rem magis attigerunt

---

[1]) Et ipse Schmidtius, Ztschrft. f. Alterth. 1853. p. 523, frustra illam dissertationem se quaesivisse fatetur; Paulyo vero nota erat haec dissertatio, cuius paginam 14. inspici iubet in encycl. r. ph. VI. 2. p. 1797.

quam exhauserunt. Quare si omnia, quae ad Theonum notitiam spectant vestigia apud veteres, maiore cum cura indagaverim, non inutili spero me functurum esse munere.

Suidas octo recenset scriptores, quibus Theon est nomen, hosce:

1. *Θέων, Ἀλεξανδρεὺς φιλόσοφος Στωϊκός, γεγονὼς ἐπὶ Αὐγούστου μετὰ Ἄρειον. ἔγραψε τῆς Ἀπολλοδώρου Φυσιολογικῆς εἰσαγωγῆς ὑπόμνημα, περὶ τεχνῶν ῥητορικῶν βιβλία γ'.* Eadem fere paucis mutatis Eudocia tradit. [2]) Alias hoc de Theone Stoico non est sermo apud veteres. Recentiorum scriptorum de Gelderus l. l. ab illo non diversum fuisse existimat Theonem grammaticum, nullo alio nisus argumento, quam quod utriusque convenit aetas. Recte vero Fabricius [3]) utrumque unum ab altero distinguit, nam Theon Stoicus a grammatico si non esset diversus, sine dubio grammaticus, neque vero philosophus a Suida appellatus esset, praesertim quum ille s. v. *Ἀπίων* mentionem fecerit Theonis grammatici. Quinctilianus [4]) Theonem quendam quatuor status in arte rhetorica fecisse tradit, ‚an sit, quid sit, quale sit, quantum sit', quem Theonem eum esse, quem Suidas de arte rhetorica libros tres scripsisse contendit, non sine veri specie Westermannus [5]) conicit. Spaldingius vero Quinctiliani locum spectare putat Theonem progymnasmaticum, de quo infra s. nro. 5. disputabimus. Quo testimonio confisus Graefenhanius [6]) Theonem Stoicum appellaverit Arei amicum, equidem non percipio; nam ex Suidae verbis *γεγονὼς μετὰ Ἄρειον* nihil aliud cognoscendum est, quam quod Theon re-

---

[2]) Cfr. Violarium in Villoisoni Anecdd. Gr. Venetiis, 1781. I p. 229, 231. — Eosdem quos Suidas Theones iisdem fere verbis recenset Eudocia.

[3]) Cfr. Bibliotheca graeca, III. 577. VI. 98.

[4]) Cfr. Institutio oratoria, lib. III. c. 6, 48.

[5]) Cfr. Geschichte der Beredtsamkeit, p. 198.

[6]) Cfr. Geschichte der klassischen Philologie, III. p. 136.

centior fuit Areo, Augusti praeceptore.[7] Similis curae defectus apud Paulyum[8]) notandus est, qui Theonem Stoicum ait scripsisse contra Apollodorum, huiusque rei Suidam auctorem affert, qui tamen Theoni commentarium solum tribuit Apollodori physiologiae.

2. *Θέων Σμυρναῖος φιλόσοφος.*

De Theone Smyrnaeo tam multa memoriae tradita sunt, ut mirum sit, Suidam mentionem fecisse solius nominis. Recentiorum scriptorum[9]) uberius de illo disputaverunt Bullialdus, de Gelderus, Martinus[10]), quare fusius de illo agere supersedere mihi videor posse; brevibus vere quaestionem urgere, sitne Smyrnaeus idem an diversus a Theone, qui saepius a Plutarcho dicens inducitur, a mea re alienum non puto, praesertim quum nonnullis locis a Plutarcho Theonis cuiusdam grammatici et Plutarchi socii facta sit mentio. Primum dicam, quae de nomine Theonis statuenda sint; nominatur enim ille in codd. mss., qui eius de arithmetica librum continent, Theon Smyrnaeus Platonicus, in astronomiae codice Paris. Theon Smyrnaeus cognomine Platonici omisso. Non diversos autem esse hos Theones, marmorea demonstrat effigies, quae exeunte saeculo 17. Smyrna Massiliam

---

[7]) Cfr. Sueton. Aug. 89. — Seneca, Consol. ad Marc. 4. — Plutarch. Anton. 80. — Aelian. Var. Hist. XII. 25.

[8]) Cfr. Encyclop. real. ph., l. l. nro. 9.

[9]) Cfr. Fabric. bibl. gr. III. p. 92. 142. 155. 641. IV. 35. V. 639. 647. VI. 99. 243. — G. I. Vossii, de scient. mathem. X. 3. p. 38, 116. — Bruckeri, Hist. crit. philos. II. p. 164. — Montuclae, Histoire des mathémat. I. p. 292. 293. — Weidleri, Histor. astron. VII. 11. p. 175. — Saxii, Onomastic. I. 293. — Delambrii, Histoire de l'Astron. anc. I. p. 317. II. p. 336. 638. — Schoellii, Hist. de la litter. gr. V. 232. — Graefenhanii, Gesch. d. kl. Phil. III. 295.

[10]) Cfr. Theonis Sm. libri de Astronomia. Paris. 1849; collig. huius libri recensio conscripta a Th. Bergkio, Ztschrft. f. Alterth. 1850. Nr. 22 et 23. — Bullialdi, Theon. Sm. libri arithmet., Lutetiae Paris. 1644. — De Gelderi, Th. Sm. Arithmet. Lugd. Bat. 1827.

allata etiamnunc in Museo servatur Capitolino, cuiusque in anteriori baseos latere haec sunt insculpta: Theonem Platonicum Philosophum sacerdos Theon patrem dedicat.[11]) Ineunte saeculo altero p. Chr. n. Theonem vixisse omnes fere consentiunt. Nam Iosephus Blancanus[12]) Th. Sm. saec. XI vel XII p. Chr. floruisse perperam dicens ne refellendus quidem est; nec magis audiendus G. I. Vossius[13]), qui duos fuisse Theones Smyrnaeos existimat nec tamen probabiles reddit eius coniecturae rationes. Accuratius Theonis Sm. aetatis ita de Gelderus circumscribit fines, ut illum demonstrare conetur Hadriani imperatoris annis 12—16 i. e. an. 130—133 p. Chr. studio et aetate iam fuisse maturum. At de eius argumentis valde potest dubitari. Claudius quidem Ptolemaeus quatuor locis operis, quod inscriptum est *μεγάλη σύνταξις τῆς ἀστρονομίας* (l. X. c. 1, pg. 239 IX. c. 9, pg. 234, ed. Basil. 1538 = tom. II. pg. 176, 193—196 ed. Halmae) observationibus utitur maximorum a sole digressuum astrorum, tanquam factis a Theone quodam annis Hadriani imperatoris 12. 13. 14. 16, clarisque verbis Ptolemaeus has observationes sibi datas esse profitetur a Theone mathematico, quem eundem esse atque Smyrnaeum de Gelderus, Vossius, Weidlerus, alii pro certo statuunt nullis nisi argumentis. Exstant vero argumenta, quae diversum esse mathematicum a Smyrnaeo comprobant, eaque attulit Martinus pg. 9 et 10, ducta ex ipsius Smyrnaei libro de Astronomia, quippe quae „tota fere ex Adrasti et Dercyllidis philosophorum operibus hausta coeli observatorem nequaquam redoleret erroremque contineret, qui allatae a Ptolemaeo Theonis mathematici observationi contrarius esset.“

---

11) Cfr. Museum Capitol. I. tab. 29. — Visconti, Iconographie Grecque. I. 178. — Sponii, Miscell. Erudit. Antiq. Sect. IV. p. 135. — Gronovii, Thes. Ant. Gr. III. p. 9.

12) Cfr. Chronolog. claror. mathem. p. 57. Bononiae 1615.

13) Cfr. De Scient. math. p. 116.

Difficilius est diiudicatu, utrum Theon, quem saepius dicentem inducit Plutarchus in colloquiis, idem sit atque Smyrnaeus, an sit ab illo diversus. Probabile videtur, viros sua aetate doctrinae laude claros ita Plutarchum in colloquiis disputantes finxisse, ut unicuique partes tribueret ea disserendi, quae ad uniuscuiusque studia accommodata essent. Neque minus conicere licet, diversos eiusdem nominis viros non inductos esse ab illo disputantes nisi cognominibus distinguentibus appositis. Nonnulli exstant apud Plutarchum loci (de macul. in fac. Lun. 7, pg. 923 E.—19, pg. 931. Quaestt. convivall. I. 4, 620. 9, 626. IV. 3. VIII. 6, pg. 782), quibus ita disserens fingitur, ut decet Grammaticum, clarisque verbis a Plutarcho aut sodalis aut grammaticus appellatur. Duobus aliis locis (De mac. in f. L. 20. pg. 952 D. — 26. pg. 937 E = 938 D) de rebus astronomicis Theon quidam disserit; ultimus quem attuli locus maxime qui respiciatur dignus est, quippe quo potissimum Platonis habeat Theon rationem in quaestione perscrutanda, utrum incoli possit Luna, quae ratio disputandi Platonica hunc Theonem esse Smyrnaeum Platonicum comprobat. Praeterea Plutarchus (de ει delphico V. 386 E.) Theonem quendam disputantem fecit de dialectica ratione in oraculis obiterque de duplicatione cubi oraculum memorantem, quod et ipse Theon Smyrnaeus ex Eratosthene refert in libro de Arithm. I. initio. Omnibus his locis de uno eodemque sermonem esse Theone, verisimile mihi videtur; hunc vero Theonem eundem esse atque Smyrnaeum conicit magis, quam comprobat argumentis de Gelderus. Sunt vero huius sententiae argumenta praeter illa, quae paullo ante iam attuli. Theonem enim Smyrnaeum haud ignarum fuisse veterum et scriptorum et poëtarum liber eius de astronomia demonstrat, in quo ille veterum scriptorum quum nomina tum integros locos servavit, ex. gr. Adrasti, Platonis saepius, rarius Eratosthenis, Archimedis, Dicaearchi, triumque poëtarum integros versiculos Ibyci, Arati, Alexandri Aetoli, cuius viginti sex versus in illo libro (c. XV f. 7b—8a)

exstant, quos tamen versus Alexandri Ephesii esse Naekius et Meinekius[14]) suspicati sunt. Praeterea Empedoclis versus unus a Theone affertur auctoris nomine omisso. Quacum re si comparaveris locum Plutarchi (de Mac. in f. L. 19. pg. 931), quo Lucius quidam, postquam de solis occasu ac defectu eiusque mutationibus disputatum est, a Theone petit, ut, quippe qui longum in legendis veterum carminibus tempus consumpsisset, auditoribus veterum poëtarum locos exponeret, qui eandem tractarent rem, facile licebit conicere, Theonem a Plutarcho commemoratum et grammaticis et astronomicis vacasse studiis eumque non fuisse diversum a Smyrnaeo. Martinus pg. 68 quidem illas poëtarum reliquias non contemnendas haustas esse putat a Theone ex Adrasti, Dercyllidis, Hipparchi operibus, quibus in scribendo compendio astronomico Theon usus esset auctoribus. Sed hac de re propter argumentorum defectum nihil certi statui potest. Idem Martinus pg. 6 Theonem a Plutarcho nominatum a Smyrnaeo diversum esse sibi persuasit ad sententiamque hanc confirmandam, quae disputaret Theon apud Plutarchum, grammaticum magis virum ait decere poëtarum studiosum, quam virum in astronomia occupatum. Neglexit vero ille locum Plutarchi de mac. in f. L. 20. pg. 952 D, quo dicens Theon inducitur de causis, quae solis et lunae defectus efficiunt, unde Theonem astronomiae vacasse necesse est concludamus.

De Theonis Sm. ipsius locutus doctrina ac conditione nunc pauca dicam de scriptis, quae illi vindicantur, praesertim quum ex illis causam petere mihi videar, cur Theon Sm. modo grammaticus modo philosophus sive astronomus nominetur. Scripsit igitur Theon Sm. opus, quod totum inscripsisse videtur auctor *Τὰ κατὰ μαθηματικὴν χρήσιμα εἰς*

---

[14]) Cfr. Naekii, Opusc. phil. I. p. 13. — Meinekii, Anal. Alex. p. 215—251.

τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν; quod vero hic titulus in manuscriptis genitivo tantum casu occurrit, ita fortasse explicari potest, ut totum titulum auctorem accipiamus repetivisse in singulis operis partibus, quae utrum quinque an quatuor fuerint, Martinus et de Gelderus inter se dissentiunt, quorum alter *τὰ περὶ ἀστρολογίας*, alter *τὰ περὶ ἀριθμητικῆς* peculiaribus libellis supra iam laudatis ediderunt. Plura si quis et de toto opere et de partibus cognoscere velit, illos velim inspiciat libellos latis instructos prolegomenis. Hoc opus ipso Theone fatente scriptum est ad illustrandam Platonis philosophiam, quam aliis quoque libris commentatum esse Theonem, quum ipsius tum Procli comprobatur testimoniis. Ipse enim Theon, de astron. c. XVI, commentarios citat, quos in Platonis libros de Republica conscripserit. Martinus vero nimium deditus dubitationi dubitari posse ait, utrum Theon hoc loco, an in toto hoc capite Adrastus loquatur, quo usus sit Theon. Eiusdem libri cap. XXIII *Σφαιροποιία* Platonica i. e. sphaerae constructio secundum Platonis opinionem composita, a Theone scripta commemoratur, de qua quidquam certi statui non potest, quamquam Montefalconius, bibl. bibl. pg. 505 C ex bibliotheca Mediolanensi Ambr. codicem nominat, cui hic sit titulus: Theonis Sm. seu potius Anonymi de Sphaera et in Platonem. Qui huc usque de Theone egerunt, codicem illum non inspexerunt, quapropter dubitari potest, utrum hoc codice constructio illa sphaerae Platonica contineatur, ut de Gelderus suspicari videtur, an lateat Theonis Astronomia, quod placet Martino. Praeterea Theon aliud ad Platonem spectans scripsisse videtur opus. Proclus enim in commentario ad Timaeum (pg. 26 A ed. Bas. = pg. 58 ed. Schneid.) ita disserit: *ἄλλοι δὲ Καλλαίσχρου Κριτίαν καὶ Γλαύκωνα παῖδας λέγουσιν, ὥςπερ καὶ Θέων ὁ Πλατωνικός.* Quibus verbis confisus Bullialdus, pg. 8 Theonem Platonicum de Solonis et Platonis genealogia aliquid scripsisse suspicatur; sed quum in multis Platonis dialogis sermo sit de Critia Glauconeque, unum alterumve

dialogum commentatum esse Theonem dataque occasione aliquid protulisse de illorum stirpe conicere malim. Quae coniectura eo confirmatur, quod ipse Theon, ut supra iam vidimus, commentarios se scripsisse profitetur in Platonis libros de Republica, atque Montefalconius, bibl. bibl. mss. nova I pg. 476, in bibliotheca Venet. Divi Marci Codicem laudat Theonis Smyrnaei in Platonem de materiis. Utrum vero Platonis Theologumena Theoni Sm. tribuenda sint, quae eodem codice, in quo inessent Theonis Mathematica Platonis, comprehensa in Catalogo bibliothecae cuiusdam Italicae se invenisse Gessnerus[15]) testatur, ab omnibus in dubium vocatur. Fabricius, bibl. gr. IV 36 sq., hunc librum eundem esse suspicatus est atque eum, quem edidisset Wechelius, Parisiis 1543 et exinde Astius simul cum Nicomachi scriptis, Lips. 1817; cuius libri pg. 157 Astius uberius de Theologumenorum auctore disputavit. Martinus pg. 23 probabiliter sub dicto titulo latere conicit Procli, non Theonis opus de Platonis theologia, similemque illo in codice commissum esse errorem atque in bibl. reg. cod. 1818; hoc enim in codice ante Theonis de iis, quae in mathematicis ad Platonis lectionem utilia sunt, opus positum invenies sine titulo Procli operis de Platonis theologia mutilum exemplar, cui manu recentiore haec praefixa sunt verba: *Οἶμαι Θέωνος εἶναι.* Quapropter Theoni Sm. opus de Platonis theologia conscriptum abiudicandum est.

Ex iis, quae brevibus disputavi, satis iam quantum fieri possit puto apparere, quid de Theone Smyrnaeo eiusque scriptis sit iudicandum. Platonis interpretibus adnumerandus est, et ita quidem illum commentatus est, ut virum illum fuisse censeas rebus mathematicis et astronomicis bene eruditum. Quod autem Plutarchus, cuius aequalis ac socius ille est habendus, grammaticum illum appellat, ita explican-

---

15) Cfr. Gessner. bibliotheca aucta per Simlerum, p. 654. Tigurini 1574.

dum mihi videtur, ut qui in interpretandis veteribus scriptoribus occupatus sit, etiamsi ratio interpretandi magis philosophica, quam mere grammatica fuisse videatur, eum grammatici quoque nomine indignum non esse contendam, praesertim quum quis, quemadmodum Theon, veterum testimoniorum habeat rationem et hac ratione se non ignarum esse demonstret et poëtarum et aliorum scriptorum. Hactenus de Theone Smyrnaeo. Transgrediamur igitur ad tertium quem recenset Suidas Theonem:

3. *Θέων Ἀντιοχείας τῆς ἐν Δάφνῃ, φιλόσοφος Στωικός. ἔγραψεν Ἀπολογίαν Σωκράτους.* Haec sola de Theone Antiocheno est notitia, quam Eudocia exscripsit e Suida vel ex iisdem fontibus, quibus Suidas usus est; neque quidquam de illo eiusque aetate conicere licet. Plura memoriae tradita sunt de sequenti Theone:

4. *Θέων, ὁ ἐκ τοῦ Μουσείου, Αἰγύπτιος, φιλόσοφος, σύγχρονος δὲ Πάππῳ τῷ φιλοσόφῳ καὶ αὐτῷ Ἀλεξανδρεῖ. ἐτύγχανον δὲ ἀμφότεροι ἐπὶ Θεοδοσίου βασιλέως τοῦ πρεσβυτέρου. ἔγραψε Μαθηματικά, Ἀριθμητικά, Περὶ σημείων καὶ σκοπῆς ὀρνέων καὶ τῆς κοράκων φωνῆς, Περὶ τῆς τοῦ κυνὸς ἐπιτολῆς, Περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως, Εἰς τὸν Πτολεμαίου πρόχειρον κανόνα καὶ εἰς τὸν μικρὸν ἀστρόλαβον ὑπόμνημα.* [16]) Examinemus singula; dicit igitur lexicographus ad Theonis aetatem statuendam, vixisse illum simul cum Pappo regnante Theodosio natu maiore; regnavit autem ille ab anno 375 usque ad an. 395, ut floruisse utrumque dicere possis c. 380. Accuratius vero Theonis vitae circumscribendi sunt fines; descripsit enim Theon solis defectum anni 365 [17]), ut illo anno studio et aetate eum iam maturum fuisse accipiamus

---

[16]) Cfr. Fabric. bibl. gr. III. 104. IV. 35 sq. IV. 265. VI. 98. IX. 171. 178. — Saxii, Onom. I. p. 394. — Hambergeri, Zuverlässige Nachrichten. II. p. 758.

[17]) Cfr. Hamberger. Zuv. Nachr. II. p. 758. — Pauly, enc. phil. r. VI. 2. p. 1797.

necesse sit. Occupatus autem est ille in studiis mathematicis et astronomicis Alexandriae, cuius clari Musei commemoratur socius et quidem ultimus; etenim inde ab hoc tempore nusquam huius instituti mentio fit. Anno 389, quo imperatorem everti templum Serapis iussisse Sozomenus tradit in hist. eccl. VII c. 15, utrum cum aliis philosophis paganis reliquerit Theon Alexandriam, an ibi moratus sit, non ausim affirmare; constat quidem, summo studio iraque maxima Christianos omnia insectatos esse, quae fuerint paganorum. Orosius enim, qui c. ann. 420 historiam suam conscripsit, (VI 5) quadraginta librorum millia illo tempore combusta esse testatur ipsumque loca vidisse libris privata; atque Socrates in Hist. eccles. V. c. 16 viros doctos aut Christianos esse factos tradit aut emigrasse Byzantium. Hypatiam, Theonis Alexandrini philosophi filiam et ipsam philosopham doctissimam, anno 415 ab iratis Alexandrinis divulsam ac dilaceratam esse Socrates tradit in Hist. eccles. VII. c. 15 et Philostorgius VIII. 9. Hac de illustri ac docta femina a multis disputatum est vel ipsis in libellis peculiaribus[18]). Fortasse et patri tristissimum illum exitum paratum esse conieceris.

Bene de mathematica et astronomia meritum esse Theonem scripta eius demonstrant, quae aut deperdita aut etiamnunc sunt servata. Haud humili loco habendi sunt commentarii in Euclidis elementa conscripti, qui inscribuntur *Συνουσίαι*, editi in Euclidis elementis a S. Grynaeo emissis (Basil. 1533). Qui ansam praebebant magnae inter Euclidis editores disceptationis, quam fusius non meum est hic persequi. Omnibus autem disceptandi rationibus perpensis, proxime ad verum accedere videtur, novam Theonem Euclidis editionem ad-

---

18) Cfr. Schmidii, de Theon. et Hypatia, Ienae 1691. — Wernsdorfii, Diss. IV. de Hypatia philos. Alex. Viteb. 1747. — Saxii, Onom. I. 458, ubi alia videas scripta de Hypatia.

ornasse, in qua Euclidea et melius digesserit auxeritque aliquot demonstrationibus, id quod ab ipso Theone comprobatur, qui in Commentario in Ptolemaei Almagestum facto editionem (ἔκδοσιν) se parasse ait elementorum Euclidis nonnullas complexam explicationes [19]). Supersunt quoque Theonis in Claudii Ptolemaei Magnam constructionem commentarii, quorum pars parva Nilo Kabasilae Pappoque debetur. Inveniuntur autem illi in principe Ptolemaei editione a Grynaeo et Camerario emissa (Basil. 1538) atque in novissima Halmae editione (Paris. 1821. 2 Voll.). Meminit quoque Theonis et Pappi eorumque in Magn. Construct. commentarii Eutocius Isidori mechanici Iustiniano imperante clari discipulus [20]). De chronologia meritum esse Theonem scholia demonstrant, quae illius in Ptolemaei *προχείρους κανόνας* scripta etiamnunc exstant et saepius quidem edita [21]). In illis enim series proposita est regum Babyloniorum, Persarum, Aegyptiorum, Graecorum imperatorumque Romanorum, a Nabonassare usque ad Antoninum Pium provecta, qua in constituenda studiis nisus astronomicis omnia redigit Ptolemaeus ad annos Aegyptiacos; quam redigendi rationem commentariis confirmat Theon. [22]). Studium igitur Theonis quum in astronomia potissimum versatum esse ex scriptis allatis appareat, etiam scholia, quae etiamnunc Theonis nomine ornata in Arati Solensis Phaenomena et Diosemeia exhibentur, Theoni Ptolemaei interpreti tribuenda esse, quin coniciamus non est quod dubitemus, omnesque fere

---

[19]) Cfr. Vossii de scient. Math. pg. 59. — H. de Lome, Euclid. Elem. Amstelod. 1738; brevis addita est de vita ac scholiis Euclid. narratio historica.

[20]) Cfr. Fabric. bibl. gr. IV p. 203.

[21]) Cfr. Dodwell, Dissertatt. Cyprianicae. Oxon. 1684. — I. van der Hagen, Observatt. in Theonis fastos. Amstelod. 1735. — Halma, Claud. Ptolemaeus. Paris. 1822.

[22]) Cfr. Freret, Mémoir. de l'Acad. d'Inscr. XXXI pg. 121 sq. — Ideler, Handbuch der Chronol. I. pg. 109. — Graefenhan., l. l. III pg. 381.

hac in re consentiunt[23]). Tempus, quo haec scholia scripta aut ut malim composita ac collecta sunt, cum Theonis nostri aetate bene convenit. Epilogus enim, in quo praestantissima tantum et ad Arati Phaenomena intelligenda maxime necessaria dicta esse auctor testatur, Iuliano imperatori dicatus est, quem anno 363 mortuum esse constat, quo tempore Theonem studiis doctrinaque iam fuisse maturum supra vidimus[24]). Kuesterus tamen ad Suid. scholia illa attribuenda censet Theoni progymnasmatico, neque ullam huius coniecturae affert causam.

De ceteris operibus, quorum Suidas affert titulos, nulla apud veteres exstant testimonia. Geographiae quoque operam navasse Theonem nescio unde cognitum habeat Klippelius (Alex. Mus. pag. 345) erroremque opinor commisisse illum, quod Theonem confuderit cum Pappo, quem opera composuisse geographica testis est Suidas.

A Brunckio, Antholog. II pg. 505, III. pg. 4 sq. quatuor vindicantur Theoni carmina, quae critice et grammatice ab illo explicata sunt in Lect. pg. 219 sq. et 237. Venio nunc ad quintum Theonem a Suida commemoratum, de quo haec ille prodidit:

5. *Θέων Ἀλεξανδρεὺς, σοφιστής, ὃς ἐχρημάτισεν Αἴλιος. ἔγραψε Τέχνην, Περὶ Προγυμνασμάτων, Ὑπόμνημα εἰς Ξενοφῶντα, εἰς τὸν Ἰσοκράτην, εἰς Δημοσθένην, Ῥητορικὰς ὑποθέσεις, καὶ Ζητήματα περὶ συντάξεως λόγου, καὶ ἄλλα πλείονα*[25]).

---

[23]) Cfr. Klippel, Alex. Mus. pg. 382. — Parthey, Alex. Mus. pg. 183. — Graefenh. III pg. 310, ubi scholiorum videas editiones.

[24]) Cfr. Buhle, Arati Phaenom. c. Theonis aliorumque scholiis. I. pg. 254 et 374. Lips. 1793. 1801.

[25]) Cfr. Fabric. bibl. gr. VI. 97 sqq. — Graefenh. III. pg. 144. 147. 162. — Westermann. Gesch. d. Beredts. I pg. 233. not 17—20, ubi variae Theonis progymn. editiones Camerarii, Heinsii, Schefferi, Walzii in Rhet. gr. I. p. 145—257 afferuntur. — Fritschii, Comment. de origine atque indole progymn. rhetoric. Grimmae 1839.

De Aelii Theonis aetate certum memoriae traditum non est, quare magna inter doctos de illa valet dissensio. Saxius, Onom. I. pag. 394 c. an. 315 eum vixisse putat, ad an. 500 eum esse reiciendum Vossius, de Rhett. pag. 94, opinatur. Assentiri vero malim Kampio atque Finkhio[26]), qui in progymnasmatis disponendis quamquam inter se discedunt, in summa tamen consentiunt, progymnasmata dicentes, qualia nunc exstarent, a Theone nequaquam composita, sed mutatum esse eorum ordinem atque a posterioribus rhetoribus redactum ad Aphthonii eadem de materia librum diu in scholis rhetoricis usitatissimum, quo in libro componendo Hermogenem potissimum Tarsensem secutum esse Aphthonium. Hermogene igitur atque Aphthonio, qui Marco Aurelio imperatore floruisse videntur, quamquam de Aphthonii dubitari potest aetate, quam ad saeculi quinti initium reiciendam censuit Heffterus, Ztschft. f. Alterth. 1839 pg. 389, antiquiorem esse Aelium Theonem eiusque aetatem inter Hermogenem atque Quinctilianum ponendam esse Finkhius coniecit in praefat. ad Theon. pg. XII, cui Kampius assentitur. Si verum esset, quod minime constat, Hermogenem atque Aphthonium in studiis progymnasmaticis Theone usos esse auctore, quemadmodum Westermannus in Paulyi Enc. ph. s. v. Theon nro. I opinatur, floruisse Theonem initio saeculi secundi p. Chr. necesse esset concluderemus. Utrum vero Hermogene Theon usus sit, an Theone Hermogenes, pro certo statuere vereor; eiusmodi enim in quaestionibus conici magis quam probari quid potest; sed ad praenomen Aelium si respexeris, Aelii Theonis aetatem in tempus imperatorum, qui e gente Aeliorum sunt oriundi, incidisse forsan possis conicere; quam tamen

---

26) Cfr. Finkhius in Iahnii „Neue Jahrb. f. Phil." VI. pg. 178 sqq., Supplem. XII. pg. 165 sqq., pg. 754 sqq. 1864, idemque in „Heidelberger Jahrb." 1837 pg. 380 sq. coll. Fleckeisenii et Masii Neue Jahrb. Nr. 92. pg. 743 sqq. 1865. — Kampius in Iahnii, Jahrb. f. Phil. u. Päd. XI. pg. 233 sqq. 1845.

rem non ita esse urgendam non nescio[27]). Summam diligentiam atque operam Ael. Theonem in re oratoria perlustranda collocasse scripta, quae Suidas affert, demonstrant; supersunt sola Progymnasmata, quamquam in fine mutila, quae saepius iam edita sunt[28]). In editionibus Romana et Basiliensi principibus adiciuntur viginti unum progymnasmatum exempla, *ἐπιστολικοὶ τύποι* inscripta, quae ad Libanium auctorem referenda esse docuerunt Heinsius et Schefferus; inveniuntur illa etiam in Aldi Epistoll. divv. philoss. Venet. 1499 et in Cuiacii Epistoll. Graec. Aurel. Allobr. 1606. Ex fine libri progymnasmatum nunc deperdito fragmentum servatum est in scholiis ad Aristidem[29]) ad eundemque locum referenda sunt, quae apud Ioannem Sicel. (Walz. Rh. VI. 455 sq.) perhibentur. Inter antiquos de arte rhetorica auctores a Ioan. Doxopatro (in *Ὁμιλίαις εἰς Ἀφθόνιον* ap. Walz. Rh. II. 513 et in excerptis ex eiusdem in Hermogenis *περὶ εὑρέσεως* commentario ap. Cramer. Anecdd. gr. Oxon. IV. pg. 168) memoratur etiam Theon Platonicus, quem eundem esse atque Aelium Finkhius docuit in Iahn. Annal. Suppl. XII. pg. 179.

Artem rhetoricam non scripsisse Ael. Theonem vereor ne Finkhio concedam; nam apud Suidam rationem dicendi si respexeris, minime vocem *τέχνη* cum *περὶ προγυμνασμάτων* coniungendam esse censebis; insolentior est dicendi ratio *τέχνη περὶ*, id quod concedit quidem Finkhius; quia tamen codex Medic. illa copulat, et ipse Finkhius ea copulari iussit; mea vero sententia inter *τέχνη* et *περὶ* signum ponendum est interpungendi.

Quae scholia in Arati Phaenomena sub Theonis nomine servata sunt, Ael. Theoni esse tribuenda, eundemque esse

---

27) Cfr. Pierson., ad Moerid. praef. pg. XXXV sq. Lipsiae 1831.

28) Cfr. Ed. pr. Romae 1520 — ed. Camerarius, Basil 1541. — ed. D. Heinsius, Lugduni Bat. 1626. — ed. Schefferus, Upsal. 1670. — Walzii Rh. gr. I pg. 137 sqq. una cum scholiis. — ed. Finkhius, Stuttg. 1834.

29) Cfr. Scholia in Aristidem, ed. Dindorf. III. pg. 437. — Spengel. in „Münchener Gelehrt. Anz." 1835. pg. 250 sqq.

atque Aelium eum, qui inter Apollonii Rhodii enarratores recenseatur, quibus nisus argumentis coniecerit Kuesterus ad Suidam atque Westermannus, hist. eloq. I. pg. 233 sq., equidem non video; mera haec est coniectura ulla carens causa. Nam quae Theonis memorantur scripta, ars rhetorica, progymnasmata, commentarii in Xenophontem, Isocratem, Demosthenem, argumenta rhetorica, quaestiones de orationis structura, omnia Theonem docent industriam operamque collocasse in studiis oratoriis neque Arati poëtae astronomici et Apollonii Rhodii poëtae interpretem redolent, quapropter scholia Aratea Theoni Alexandrino, Hypatiae patri (cfr. nro. 4), tribuere malui; scholia vero, quae Theonis in Apollonium Rhodium memorantur, infra Theoni vindicabo grammatico. Haec de Theone Aelio disserere mihi visus sum; de Theone, quem continuo subiungo, soli Suidas et quae eum exscripsit Eudocia haec tradunt:

6. *Θέων, ὁ Οὐαλέριος χρηματίσας, σοφιστής, ὑπόμνημα εἰς Ἀνδοκίδην.* Aetas eius prorsus latet. Verbis autem Suidae legendis offendor, quod qui liber Theonis affertur sine ulla coniunctione appositus est; semper enim si scripta affert Suidas, verbis utitur scribendi vel componendi, saepissime verbo *ἔγραψεν*; hoc autem loco omissum est tale, quamobrem librarii culpa verba *ὑπόμνημα εἰς Ἀνδοκίδην* huc distracta esse conicio ex glossa antecedente, quae Theonis Aelii enumerat scripta; id quod fortasse ab ipso Suida factum est, nam Eudocia hac utitur coniungendi ratione, ut *φέρεται* addat. Cur de Gelderus hunc Theonem eundem esse putaverit atque illum, quem Etym. Magn. saepius laudaverit poëtarum interpretem, causam equidem non video. Progrediamur igitur ad Theonem, qui inter Theones septimum apud Suidam obtinet locum.

7. *Θέων, Γυμνασίου τοῦ σοφιστοῦ παῖς, Σιδώνιος, σοφιστὴς παιδεύσας κατὰ τὴν πατρίδα, γενόμενος δὲ ἐπὶ τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου, καὶ ἀπὸ ὑπάτων καὶ ὕπαρχος.* Docebat ergo Theon sophista in patria sua c. an. 330 artem

rhetoricam, in quam isto tempore summa cum diligentia viri docti incubuerunt, et summa dignitate fructus ille videtur, quippe quum vir consularis et praefectus a Suida nominetur. Commentatum etiam esse Theonem veteres oratores non est quod dubitemus; patris quidem Gymnasii et ipsius sophistae commentarius in Demosthenem memoratur a Suida s. v. Gymnasius. Venio nunc ad ultimum, quem recensuerunt Suidas atque Eudocia, Theonem:

8. *Θέων σοφιστὴς λόγων ῥητορικῶν, γεγονὼς ἀπὸ τῆς ἱερᾶς Μαρκέλλης τὸ γὲ ἀνέκαθεν, τὸ δὲ ἐξ ὑπογύου πατρόθεν ἀπὸ Ἐκδικίου, διδασκάλου καὶ τούτου τέχνης ῥητορικῆς. ἦν δὲ οὗτος ὁ Θέων οὐ μάλα ἀγχίνους οὐδὲ ὀξύς, φιλομαθὴς δὲ καὶ φιλόπονος εἰς ὑπερβολήν, ταῦτά τοι καὶ ἐγεγόνει πολυμαθέστατος ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πολλὴν ἀρχαίαν ἱστορίαν, πολλὴν δὲ νέαν περιβαλλόμενος.* Apud Eudociam in Viol. posteriora fortasse rectius ita leguntur: *ἔγραψε τέχνην ῥητορικήν, ἀρχαίαν ἱστορίαν καὶ ἄλλα τινά.* De aetate huius Theonis disceptandum est. Mentionem enim facit Suidas Ecdicii, magistri artis rhetoricae, a quo, si aetatis proximae respexeris paternum genus, oriundum eum esse testatur. Ecdicius autem sodalis fuit Libanii, qui honorifice eum in epistolis memorat idemque praefectus Aegypti notus ille codicillis Iuliani imperatoris; itaque si idem esset Ecdicius iste atque Theonis pater, Theonis aetatem in saeculi quarti finem et quinti initium incidere necesse esset accipiamus. Cui obstant, quae apud Photium in bibl. pg. 339 b ed. Bekk. de Theone leguntur; dicit enim Photius Damascium in vita Isidori philosophi de Theone quoque retulisse, et quae affert Photius ex illa vita, ad verbum fere cum Suida concinunt. Itaque verisimile videtur, quae Suidas notaverit, ex eodem fluxisse fonte i. e. e Damascii vita Isidori; id quod eo magis conicere velim, quod brevissimis relationibus Suidas alios Theones commemorat, in hoc autem Theone illustrando, cuius obscuritatem longe superat aliorum nobilitas, prolixa usus est verborum copia. Ex illo Damascii loco Theonem vixisse conici potest ante tempus aut eodem

tempore, quo Damascius vixerit, cuius aetas in saeculum incidit sextum, quae coniectura eo comprobatur, quod Photius pg. 127 b Damascium refert per tres annos artem rhetoricam exercuisse Theone magistro.

Octo igitur a Suida recensentur Theones, de quibus quid sit iudicandum, satis disputasse mihi videor; sed quum plures apud veteres commemorentur viri, quibus nomen est Theon, hos quoque enumerare atque, ut melius quot exhibeantur Theones cognoscatur dataque occasione facilius ad illos revocari possit, numerorum signa in Theonibus a Suida memoratis adhibita ulterius provehi placet. Certam autem legem ut adhibeam in enumerando, temporis quantum fieri potest rationem habebo.

9. Theon Tithoraeus Stoicus, cuius mentio fit apud Diogenem Laert. IX. 82 in verbis Pyrrhonis ab illo servatis, unde aut aequalem Pyrrhonis fuisse Theonem aut ante eum vixisse colligere possimus. Quum autem Pyrrhon Philippo Macedoniae rege floruisse dicatur (cfr. Suidas, s. v.) efficitur, ut Theon ante ann. 336 a. Chr. vixisse videatur.

10. Theon Samius Pictor, summa pingendi arte insignis Philippi regis temporibus picturis operam navavit, cuius potissimum concipiendarum visionum, quas vocant *φαντασίας*, laudatur facultas a Quinctiliano.[30])

11. Theon, servus Lyconis Peripatetici, quem a Lycone Stratonis Lampsaceni in Lyceo successore anno 227. a. Chr. n. mortuo per testamentum manumissum esse Diog. Laert. V. 73 testatur.

12. Theon, homo maledicus ab Horatio memoratur in Epist. I. 18, 82, cuius maledicentiam in proverbii consuetudinem venisse verba demonstrant Horatii „dente Theonino

[30]) Cfr. Quinctil. instit. orat. XII. c. 10. — O. Iahn. Archäol. Aufsätze, p. 168. — Plin. H. N. XXXV. 11. — Plutarch. de audiend. poet. III. p. 18 B. — Aelian. V. H. II. cap. ult. — Iunii Catalog. artific. p. 211.

circumrodi". Aequalis autem Horatii Theon fuisse videtur aut certe non diu ante Horatium vixisse. Commentator Cruquianus de illo haec tradit: „Luthienus Theon libertinus dicacitatis amaritudine praeter ceteros ita patronum suum exasperavit, ut domo eius submoveretur, et quaternario legato iuberetur restem sibi palumque emere. Per hunc ergo maledici et detrectatores intelliguntur." Poëtam fuisse Theonem unde cognitum habeant Erasmus Roterodamensis (cfr. nro. 14) atque Doeringius in Hor. edit., non percipio; nam in tota Horatii epistola ulla causa non inest, quae illum fuisse poëtam indicet.

13. Theon Alexandrinus medicus, quo tempore vixerit, in suspenso manet. Constat vero, eius aetatem post Hippocratis tempora et ante Galenum esse ponendam. Galenus enim [31]), qui saeculo floruit secundo, fragmentum servat ex Theonis libro tertio *τῶν γυμναστικῶν*, eumque, quamquam aliis aliud visum esset, Hippocrati postponendum putat, quem melius de frictionum differentiis viribusque scripsisse ait [32]).

14. Theon Medulensis, Medulis in urbe Aquitaniae natus, familiaris fuit atque carus Ausonio Burdigalensi poetae, cuius epistolae ad eum scriptae quatuor supersunt [33]), e quibus poetam illum fuisse elucet mediocrem atque exagitatum esse ab Ausonio magna libertate. Non vero, quae Ausonius de eo refert, huc libet afferre; unius autem loci ratio habenda mihi videtur, utpote qui ansam praebuerit Erasmo Roterodamensi confundendi huius Theonis cum illo, de quo Horatius illud „dente Theonino circumrodi" sumsit. Citat

---

31) Cfr. De Sanitate tuenda II. 3. p. 71 c., Vol. VI. ed. Charter.

32) Cfr. Photii. bibl. p. 171 b. 177 a. — Aëtii Amideni libr. medicin. III. c. 58. p. 53. ed. Venet. 1534. — Vossii, de philosoph. p. 79. — Fabric. bibl. gr. XIII. p. 747. — Paulyi enc. phil. r. s. v. Theon.

33) Cfr. Ausonii Epist. 4—7.

enim Erasmus in proverbio illo explicando (Adag. Ch. II. Cent. II. 35) Ausonii versiculos ex Epist. IV. 101,

Hic est ille Theon poeta salsus
Bonorum mala carminum taberna;

qui versus referendi sunt ad Theonis Medulensis arrogantiam, qua Clementini boni poetae aliquod carmen sibi tribuit atque tanquam suum ad Ausonium misit (cfr. epist. IV. 65 sqq.). Iosephus Scaliger perperam Ausonium coluisse ait Clementinum Theonem, qui error profectus est ex epistola quarta minus percepta.

Praeter quatuordecim illos quos recensui Theones alios quoque hoc nomine praeditos quaerens reperi viros, qui quibus locis nominati sint, ut plene cumulateque hanc de diversis Theonibus quaestionem perficiam, restat ut doceam, quamquam cum Theone grammatico nequaquam eos commutari posse, omnino mihi persuasum est.

Mentionem igitur faciunt Plinius, H. N. XXXIV. 3, Theonis praeconis; Lucianus pg. 626. Th. palaestrae magistri; Lysias 10, 12. Th. Atheniensis; Inscriptiones Tithor. (cfr. Rh. Mus. N. F. XI. 544) Theonis Timomachi filii; E. Curtius in Anecdd. Delphicis. 22. Theonis Praxiae patris; Gruterus, Inscript. pg. 937. 2, 1090. 13, 618. 11. Theonum trium diversorum; Iustinus Martyr adv. Gent. pg. 20 Theonis Polydamnae coniugis; Vossius, de hist. Latin. Theonis (vel Teonis) monachi, quem opus condidisse dicit de S. Othmari virtutibus et miraculis, quod superest in libro manuscripto apud Helvetios in bibliotheca St. Othmari. Denique Clintonus, fastis Hellenic. III. pg. 7 ad an. 271. Theonem memorat auletam, cuius etiam mentio fit in Boeckhii Corp. Inscr. Gr. nro. 225, pg. 348, atque apud Athenaeum p. 176c, ubi Haeduli cuiusdam epigramma in Theonem τὸν καλαμαυλητήν servatum est.

Haec sunt, quae de diversis Theonibus dicere habui, quos si obiter perlustraris partim humili loco eos habendos, partim magna dignos esse laude tibi dicendum erit.

II.

Quis fuerit Theon grammaticus.

Qui scriptores in veterum testimoniis recensentur Theones, eorum vidimus scripta ad philosophiam, artem rhetoricam, mathematicam, astronomicam pertinere; citantur quidem eorum ipsi commentarii, qui quum in rebus magis versentur investigandis quam in scriptorum dicendi ratione explicanda, inter omnes quos enumeravi Theones quisquam mihi non fuisse videtur, qui operam industriamque in meris propriisque studiis grammaticis collocaverit. De grammatico quidem Theone apud Plutarchum esse sermonem, supra p. 8 sqq. iam monui; illum vero eundem esse atque Smyrnaeum ob causas supra allatas nihil impedit, quominus suspicemur. Theonem enim, quem grammaticum aut sodalem appellat Plutarchus, ita disputantem inducit, ut peritiam et poetarum et astronomiae ei tribuere cogamur; proprium vero grammaticum illum fuisse cur putemus non est causa. Quae quum ita sint, opera grammatica, quae Theonis cuiusdam saepius laudantur, Theoni tribuenda videntur ab omnibus supra laudatis longe diverso, atque hanc coniecturam, quamquam ad ipsam veritatem accedere non posse mihi ipsi fatendum est, propius accedere tamen puto ad veritatis similitudinem.

Quaerentibus autem veterum testimonia de Theone, cui scripta grammatica in scholiis ac lexicis saepius commemorata vindicari possint, unus solus occurrit Theon grammati-

cus, cuius successorem Apionem fuisse Suidas testatur s. v. *'Απίων*. Theonis igitur huius aetatem, quo in tempore sit ponenda, atque vitae conditionem si investigare volumus, eorum quae de Apione tradita sunt, ratio habenda est, praesertim quum, quod nihil aliud de Theone memoriae proditum est, memoriam coacti simus coniecturis adiuvare, quae veterum de aliis grammaticis Theoni aequalibus testimoniis necesse est nitantur. Apionem igitur grammaticum, Apollonii Archibii discipulum, Didymi Chalcenteri alumnum (*θρεπτόν*), Dionysio Halicarnassensi aequalem docuisse Romae Tiberio Claudioque imperatoribus successoremque fuisse Theonis, testis est Suidas. Quatuor ergo rationibus Suidas usus est ad Apionis vitae accuratius circumscribendos fines; duae tantum respici possunt, quod ad aetatem Didymi Apolloniique certius statuendam viri docti hac quoque Suidae de Apione notitia nituntur. Sin verum est, Apionem aequalem fuisse Dionysio Hal., quem post Chr. n. iam mortuum esse constat, concludamus necesse est, gavisum esse Apionem magna senectute; quibus perpensis efficitur, ut Apion adolescens in aetatem Dionysii senescentis inciderit et natus videatur c. an. 30 a. Chr. n. Quod vero Schmidtius, Didymi fragm. pg. 7, Apionem coniecit anno 11 a. Chr. n. infantem modo natum a Didymo sublatum esse, quomodo cum Suida conciliari possit non video, atque ex eo profectum videtur, quod Didymi aetatem in recentiore tempore ponere studet. Didymi vero aetatem Suidas his circumscribit finibus: *γεγονὼς ἐπ' Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου*. Quamquam dictionem *γεγονὼς ἐπὶ* maiorem habere vim quam in universum aetatis indicandae concedo atque, quae de vocabuli *γεγονώς* apud Suidam usu observavit Ritschelius, Bibl. Alex. pg. 79, eorum non sum nescius, tamen quod Schmidtius de Didymi protulit aetate, quomodo conciliari possit cum Suidae verbis, omnino non intelligo; spondet enim ille, anno 41 a. Chr., quo Cicero luce esset privatus, Didymum in lucem esse editum. Quod quidem Schmidtius Ciceronem mortuum esse ait anno 41,

quum defunctum illum esse anno 43 constet, hoc forsan tribuendum puto memoriae vitio. Nequaquam vero persuadere mihi possum, Suidam, si illo anno natus fuisset Didymus, verbis *ἐπὶ Κικέρωνος* usum esse. Huc accedit causa mihi gravissima, quod ad natales Didymi certis finibus circumscribendos duos coniungit viros praeclaros Ciceronem atque Antonium, quapropter haud scio an proxime a vero sit afuturus, qui Didymum natum esse statuerit anno 63, quo anno Cicero et Antonius consulatum obtinebant, eumque vitam produxisse usque ad Augusti tempora (*ἕως Αὐγούστου*), id quod non ita est intelligendum, ut defunctum illum esse putemus Augusti imperii initio, sed illius etiam temporibus floruisse. Quando vero diem supremum obierit, non constat; inter longaevos autem Didymum esse referendum, quamquam non est sermo de illo apud Phlegonem et Lucianum Heraclidem, eo confirmatur, quod tot composuisse libros traditur. Neque his temporis computationibus reliqua indicia non respondent.

Heraclidem enim Ponticum[34]), quem Didymo usum esse magistro Alexandriae atque Claudio Neroneque imperatoribus ipsum docuisse Romae Suidas est testis, adolescentem audivisse Didymum senem, cur non arbitremur, non est causa, neque opus est coniectura Graefenhanii III. pg. 64, qui in verbis Suidae: *Ἡρακλείδης Ποντικός....*, *ὅστις Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐφοίτησεν* pro *τῷ πάνυ* legendum censet *τῷ νέῳ*, atque Heraclidem Pont. discipulum fuisse putat Didymi minoris, Chalcenteri fortasse filii. Accedit denique locus Suidae s. v. *Ἰόβας*, ex quo perspicue intelligi potest, quo in tempore ponenda sit Didymi aetas. Supparem

---

[34]) Cfr. de Heraclide Pontico, Didymi discipulo, Λεσχῶν, carminis grammatici auctore: Bekkeri Anecd. Gr. p. 1196. Etymol. Gudian. v. Κάνωβος. Athen. XIV. p. 649 C. — Suid. v. Δίδυμος ὁ τοῦ Ἡρακλείδου et interpretes ad h. l., et Suid. v. Λέσχαι. — Meinekii Anal. Alexandr. Epim. X. — Welcker. Mus. Rhen. V. p. 117.

enim Suidas testatur Didymo vixisse Iubam regem Mauretaniae, adversus quem multa Didymus scripsisse dicitur. Anno 46 a. Chr. post patrem Zamae necatum a Caesare delatus Iuba puer est Romam, ubi accurata eruditione gavisus scriptis geographicis atque historicis laudem sibi paravit haud exiguam. Singulos quidem eius annos ut certos statuamus, quamquam eius tempus adeo accurate notatum non habemus, hoc tamen satis constat, natum eum esse ante an. 50. a. Chr. atque defunctum ante an. 24. p. Chr., quo anno Strabo diem obiit supremum, qui (XVII. 828) Iubam memorat modo defunctum.[35]) His perpensis proxime ad veritatem accedere mihi videtur, natum esse Didymum Antonio et Cicerone consulibus atque Augusto imperatore Alexandriae inclaruisse docendo in Museo multisque scriptis condendis.

Quodsi Didymus Apionem educabat, quemadmodum Suidas testatur his verbis: *Ἀπίων — Διδύμου τοῦ μεγάλου θρεπτός*[36]), sublatus Apion videtur a Didymo fere tricenario i. e. anno 30. a. Chr.; nam si postea Apion in lucem editus esset, aequalis esse non potuisset Dionysio Hal., quem paulo a. Chr. n. mortuum esse constat. Itaque quum Claudio imperium tenente Romae docuisse Apion tradatur, ad magnos annos vitam produxisse videtur. Quonam vero loco Theoni successerit, difficilius est diiudicatu. Suida enim teste Romae docebat Apion Tiberio et Claudio imperatoribus, quo tempore eum adolescenti sibi visum ait Plinius, H. N. XXX.

---

[35]) Cfr. Plut. Sertor. c. 9, Caesar. 55, Anton. 87. — Appian. Civil. II. 101. — Athen. III. 836. VIII. 343. IV. 175. 170 e. — Tatian. Orat. ad Graec. p. 127. — Clem. Alex., Stromat. I. p. 329 B. — Plin., H. N. XXV. 7. — Hullemanni, de vita et scriptis Iubae disp. Traiecti 1845. — Goerlitzii, de v. I. dissert. inaug. Vratisl. 1847. — Plagge, de v. I. dissert. inaug. Monaster. 1849.

[36]) Cfr. de significatione vocabuli θρεπτός M. Schmidt., Didymi fragm. p. 7. Lips. 1854. Significat autem θρεπτός eum, qui liber natus a parentibus expositus ac deinde a quodam sublatus educatur.

2; Caligulae imperatoris tempore Alexandriae moratus est, unde Iudaeos incusaturus eorumque expulsionem flagitaturus legatus ad Caligulam missus est.[37]) Quare Graefenhanius, III. pg. 62. atque Lehrsius, Quaest. epic. pg. 3. not. bis Apionem Romae docuisse putant, sub Tiberio et postea sub Claudio, Caligula vero imperatore scholae eum praefuisse Alexandrinae tanquam Theonis successorem. Quod vereor ne illis concedam. Nam septuagenarium Apionem secutum esse in Museo Alexandrino Theonem non verisimile est, atque etiamsi ita se res haberet, mirum videri deberet, per tam brevis temporis spatium Alexandriae munere docendi functum esse Apionem, quia Claudio imperatore Romae rursus docuisse traditur. Accedit quod, quum civitate Alexandrina condonaretur tantaque frueretur apud Alexandrinos dignitate, ut legationis ad Caligulam missae ei traderentur partes, diu illa in urbe vixerit laudemque sibi comparaverit haud exiguam, omnino necesse videtur. Quae quum ita sint, Alexandriae instructum Didymi, Euphranoris Apollonii doctrina, imperio ad Tiberium redeunte Romam se contulisse Apionem ibique in schola quadam publica grammaticam docuisse ac deinde, postquam Theon in museo Alexandrino mortuus esset, illuc reversum locum Theonis in museo obtinuisse conicere malim. Id quod fieri potuit anno 20. p. Chr., quo vir erat Apion quinquaginta annos natus. Huic omnino non obstat, quod Plinius l. l. adolescenti dicit sibi visum esse Apionem; Caligula enim imperatore Plinius adolescens erat, neque quidquam impedit, quominus Plinium vidisse accipiamus Apionem eo tempore, quo legatus ille missus esset Romam Iudaeos incusaturus; sed cur Apion Alexandria postea relicta iterum Romae munere functus sit docendi, nullum coniecturae habet locum; illum vero paulo post mortuum esse ex Plinii verbis

---

[37]) Cfr. Iosephi Antiquit. Iudaic. XVIII. 10. — Lehrsii Quaest. epic. p. 18.

puto erui posse.[38]) Ex iis, quae paulo uberius de Didymo atque Apione disputavi, quodammodo conici potest, quo tempore et quo loco Theon floruerit grammaticus. Conicio igitur, Theonem Didymi fere aequalem museo Alexandrino praefuisse eiusque principalem docendi actionem in Augusti imperium incidisse. Duo alia exstant indicia, quae sententiam meam de Theonis aetate ac conditione comprobare possint. Alterum in scholiis Venet. ad Iliad. v. 234. invenitur, ubi Apollonius Theonis filius pro *ἀνηρείψαντο* legisse traditur *ἂν ἠρείψαντο.* Tot vero viri commemorantur, quibus nomen est Apollonius, ut quis inter multos Theonis fuerit filius iudicatu difficile sit, quapropter coniectura memoriam adiuvare coacti sumus. In scholiis Marcianis Homericis apud Villoisonum, Anecdd. Gr. II. pg. 184, not. 2. praeter Apollonium Theonis filium hice recensentur eiusdem nominis: Ap. *ὁ τοῦ Χαίριδος*, Ap. Rhodius, Ap. Dyscolus, Ap. *ὁ τοῦ Μόλωνος,* Ap. *ὁ διδάσκαλος ἡμῶν*, Ap. *ὁ τοῦ Ἀρχιβίου;* Apollonii vero cognomento Anterotis nulla fit mentio; quem tamen eundem esse atque Theonis filium, non sine veri specie coniecisse videtur Graefenhanius III. 61. Suidas s. v. *Ἀντέρως*, Anterotem eundemque nominatum Apollonium grammaticum Alexandrinum Apione usum esse testatur magistro, aequalemque Heraclidi Pontico Romae docuisse sub Claudio imperatore librosque composuisse de grammatica duos. Quum nomen Anteros nusquam occurrat, opinari forsan possimus, nomen proprium Anterotis fuisse Apollonium eumque Theonis filium patre mortuo Apione patris in schola successore usum esse magistro atque velut Apionem, quem, utpote in Homeri carminibus potissimum explicandis occupatum, in nomen Homeri ab omnibus adoptatum esse civitatibus, testis est Seneca, epist. 88., operam navasse Homero interpretando, nisi forte, quae eius in scholiis Venet. afferuntur, hausta sunt

---

[38]) Cfr. Lehrsii de Apione Comment. in Quaest. epic. p. 1—34.

e libris eius de grammatica a Suida commemoratis. Quae Graefenhanii coniectura si vera est, Theonem Augusto imperatore floruisse sequitur, nam si Apollonius sub Claudio Romae docebat, facile fieri poterat, ut paulo ante Chr. n. in lucem editus, postquam Alexandriae ab ipso patre eoque mortuo ab Apione successore litteris institutus est, Romam se conferret ibique artem grammaticam profiteretur.

Ipse quidem non nescio, hoc solo loco nisum quemquam aliquid certi de Theonis aetate proferre non posse, sed meo iure ad rem aliunde iam compertam magis confirmandam hoc indicio non dubito uti. Idem mihi sentiendum videtur de altero indicio, quod in Etym. Magno s. v. *ἀρμῷ* exhibetur. De vocis *ἀρμῷ* explicatione infra sermo erit; hoc loco illud solum urgendum est, quod explicationis illius auctor nominatus est Theon Artemidori filius, quem eundem esse atque Theonem grammaticum Augusto regnante florentem in nullam me adducit dubitationem. Sed priusquam de Theone hoc loco commemorato agam, quomodo legendum sit illo loco, necesse est statuatur. Plurimi enim codices lectionem exhibent: *οὕτω θέλει ὁ Ἀρτεμίδωρος;* sunt autem codices, imprimis Leidensis et unus Parisinus, qui scripturam praebent: *οὕτω Θέων ὁ Ἀρτεμιδώρου*, quare Bastius, ad Gregorii Corinthii de dialectis ed. Schaeferi 1811 pg. 367 sq. restituendum censet: *οὕτω Θέων ὁ τοῦ Ἀρτεμιδώρου* pro vulgata lectione, quam ex compendio perperam lecto natam esse diserte demonstrat[39]). Bastii observationem recte se habere, ex duobus aliis, quos ignorabat ille, codicibus apparet, quorum alterum lectionem exhibere *θεῶν ὅτε*, alterum *θε) ὁ τοῦ ἀρτεμιδώρου*

[39]) Dicit enim Bastius l. l.: „θέων compendiose sic scribitur θέ, ita ut simul per accentum litterae ε superscriptum ductus trahatur incurvus, qui syllabam ων significet; supra p. 293 didicimus, syllabam ων sic superscriptam pro littera χ habitam esse; hic eandem cum littera λ confusam videmus, quomodo labi pronum fuit librariis, ubi accentus nota tam brevis esset, ut linea illa incurva non pertransiret eam, sed superincumberet. Iam θε superscripta littera λ solenne est compendium verbi θέλειν."

monet Ahrensius[40]). Theonem autem grammaticum hoc loco esse intelligendum, ex illis, quae infra de scriptis eius disputabimus, aliquam accipiet verisimilitudinem. Hic, quid de Artemidoro patre statuendum sit, investigabo. Plures quibus nomen est Artemidorus commemorantur, quare quis inter multos Theonis pater fuerit, vix statuere poteris. Attamen in Etym. Magn. l. l. Artemidorum Aristophaneum intelligendum esse omnes consentiunt, in circumscribendis autem eius vitae finibus insigni variatione inter se discedunt. Propter appellationem *Ἀριστοφάνειος* vel *Ψευδοαριστοφάνειος*[41]) proxime ab Aristophane grammatico Artemidorum abesse putaverunt Wuestemannus, Theocr. pg. XXII., Fritzschius, de poët. Graec. bucol. pg. 29, Nauckius, Aristoph. Byz. pg. 4; eumque esse iudicarunt Fritzschius et Wuestemannus, quem epigramma in Anthol. Palat. IX. 205 carmina ait collegisse bucolica. Aristophanes vero Byzantius quum c. 220 a. Chr. floruerit[42]), qui Artemidorum ob Aristophaneum cognomen illius discipulum fuisse putant, illis ponenda est aetas Artemidori in saeculo a. Chr. n. altero et quidem in priore eius dimidio. Itaque Fritzschius pg. 32 et ipsum Theonem, qui filius aut discipulus, ut Fritzschio placet, in Et. M. laudatur Artemidori, distinguendum probe monet a Theone Alexandrino philosopho Stoico, Apionis antecessore. Sed unus ille miram hanc de Theonis aetate proposuit sententiam, quam uberius refutat Ahrensius, bucol. graec. II. pg. XXX. sqq., eundem vero quem Fritzschius commisit errorem; nam Theonem Artemidori revera gram-

---

[40]) Cfr. H. L. Ahrens, Bucolicorum graecorum Theocriti, Bion. Mosch. Reliq. Lips. 1859. II. p. 173.

[41]) Cfr. Athen. IV. 182 d. I. 5. IX. 387 d. XIV. 662 e. 663 d.

[42]) Cfr. Nauckius, Aristoph. Byz. fragm. p. 4., aetatis Aristophanis B. fines ita circumscribit, ut Ol. 129. v. 130 (c. 260 a. Chr. n.) natum, Ol. 148 v. 149 (c. 185 a. Chr.) defunctum illum dicat.

maticum Aristophaneum patrem habuisse pro certo fere ait haberi posse, nulla alia causa motus, quam quod pater et filius bucolicis et Callimacho interpretandis operam navassent atque utrique tribui possent *λέξεις κωμικαί.* Quin etiam Ahrensius hoc habet satis compertum, et *λέξεις κωμικάς* et hypomnemata in Callimachum aut coniuncta patris et filii opera edita esse aut a filio patris copiis uso, ut sub utriusque nomine promiscue laudari potuissent. Et ipsum huius rei exemplum affert ex Athenaeo XIV. 640e, ubi eadem Tryphoni tribuuntur, quae in proximis, 641a, Dionysio Tryphonis vindicantur; sed ipsi Ahrensio „audacius agi videtur, si quis e lectione *Ἀρτεμιδώρου*, quam in schol. Aristoph. Vesp. 1144 optimus codex pro nominativo praebet, colligere velit veram lectionem esse *ὁ Ἀρτεμιδώρου* i. e. Theon, et similem errorem etiam in aliis accidisse“.

Quae omnia bene sese haberent, si omnibus quibus mentio fit Artemidori locis Artemidorum intelligendum esse constaret Aristophaneum. Quod vereor ne illi concedam. Pluries quidem Artemidorus Aristophaneus vel Pseudoaristophaneus commemoratur ab Athenaeo et quidem tanquam auctor librorum *περί Δωρίδος* (IV. 182d.) et *λέξεων* sive *γλωσσῶν ὀψαρτυτικῶν* (I. 5. b. IX. 387d. XIV. 662e 663d.), quem ab illo, qui carmina bucolica antea dispersa in unum corpus coëgit, non diversum esse ob libros eius *περὶ Δωρίδος* conicere velim; et hac in re omnes consentiunt. Id ipsum vero mihi quamquam non ignoranti, propter appellationem *Ἀριστοφανείου* nequaquam necesse esse sequatur Artemidorum Arist. discipulum fuisse Aristophanis Byz., exemplo dato Pamphili, qui etsi a Suida Aristarcheus dicitur, duobus saeculis post Aristarchum vixit, omnino persuasit, ut Artemidorum Arist. non diu post Aristophanem Byz. vixisse putem. Nam ad veterum grammaticorum Alexandrinorum tempus maxime accommodatum est poëtarum carmina antea dispersa in unum corpus colligendi studium. Et Theocritum ipsum Idyllia, dum viveret, non ita edidisse, ut unum quoddam

opus efficerent, Naekius in procemio demonstravit indici praelectionum Bonnae 1828 habitarum praefixo.[43]) Praeterea verisimile videtur, collectionem illam non multo post obitum Theocriti factam esse, unde Artemidori collectoris definiri potest aetas, neque vero collectio ex aetate Artemidori, ut a Wuestemanno pg. XXI factum est, qui sola appellatione *Ἀριστοφανείου* confisus Artemidorum discipulum esse habendum censet Aristophanis Byzantii. Ahrensius vero summa diligentia doctrinaque subtilissima omnia, quae ad artem grammaticam pertinentia apud veteres scriptores grammaticos nomine Artemidori subscripta inveniuntur, Artemidoro Aristophaneo eodemque Theonis patri tribuenda esse legentibus persuadere studet, atque quum Theon optimo iure Artemidori Aristophanei filius existimetur, patrem apparere ait ultimo semisaeculo a. Chr. n. floruisse. Qua in re duo vitia commisit, quorum alterum ex altero exortum est, unum, quod Artemidori Arist. aetatem secundum Theonis filii aetatem definiendam censet, alterum, quod ex sola coniectura Artemidoro Ar. *λέξεις κωμικάς* et commentarios in Callimachum tribuit ad suspicionem suam confirmandam, propter insignem studiorum et operum coniunctionem Theonem Artemidori revera grammaticum Aristophaneum habuisse patrem. Saepius quidem Artemidorus quidam sine ullo cognomento citatur tanquam auctor interpretationum vocum comicarum[44]), ut conici possit, lexicon comicum illum composuisse, praesertim quum apud Erotianum pg. 244 Artemidorus audiat *ἐν ταῖς λέξεσιν*, et in schol. Aristoph. Vesp. 1169 eius commemoretur *συναγωγή*. Cur autem illud lexicon ad Artemidorum Arist. retulerit Ahrensius, equidem causam non video. Idem sentio de loco in Etym. Magn. 142, ubi Artemidorus interpretans

---

[43]) Cfr. Allgemeine Schulzeitung, 1828. n. 100.

[44]) Cfr. Schol. Aristoph. Vesp. 1144. v. χόλιξ. Vesp. 1239. v. Ἀδμήτου λόγον, Pac. 344 v. συβαρίζειν, Vesp. 1169 v. διασαλακώνισιν. — Hesych. v. σκυρία δίκη et v. μίλαξ.

affertur vocem ἀρμακύδης, unde Callimachi Αἴτια illum commentatum esse fortasse concludere possis, quum in Callimachi Αἰτίων fragm. 108 Iuno dicatur ἀρμακύδης εὖνις Διός. Praeterea Artemidorus quidam interpretans vocem φιλήτης una cum Alexione occurrit in Cyrilli lexico in Crameri Anecdd. Paris. IV. 193, sed quum vox φιλήτης neque in comicorum neque in Callimachi reliquiis inveniatur, quo ex opere huius vocis interpretatio sumta sit, incertum est. De uno eodemque Artemidoro his locis sermonem esse, adeo mihi pro certo habendum videtur, ut hoc fundamento niti liceat in coniciendo. Pono igitur, Theonis nostri hunc Artemidorum fuisse patrem propter studiorum coniunctionem, quibus operam uterque navavit; infra enim et ipsum Theonem lexicon comicum condidisse et Callimachi Αἴτια commentatum esse videbimus. In aetatem vero huius Artemidori si accuratius inquirimus, indiciis quibusdam nequaquam relinquimur, quibus nisi coniecturam haud incertam de illa possimus proponere. Primum in schol. Aristoph. Vesp. 1239 Artemidorus de Apollonii Chaeridis filii atque Ammonii sententiis referens exhibetur, unde recentiorem illis aut certe aequalem Artemidorum fuisse apparet. Apollonium autem Chaeridis filium his ab Apollonio sophista in lexico Homerico citatum[45]) ante Didymum vixisse, a quo usurpatum esse eum M. Schmidtius, Did. fr. pg. 292 putat, ex scholio Pind. Pyth. IV. 446 conicienđum videtur, quod et ipsum Boeckhium[46]) movet, ut Chaeridem grammaticum Didymo antiquiorem habeat. Accedit schol. Iliad. VI. 71, ubi Didymi fide Chaeris affertur. Itaque optimo iure Chaeridem et ipsum Apollonium filium in saeculi primi a. Chr. n. initium incidisse suspicari licet, quo efficitur, ut Artemidorum floruisse dicamus medio fere

---

[45]) Cfr. Villoison., prolegom. ad Apollon. Soph. lex. p. XX.

[46]) Cfr. Boeckh., praef. ad Pindar. schol. p. XVI.; locis, quibus Chaeris affertur, a Boeckhio allatis duos velim addas ex Aristoph. schol. Ran. 1028, Vesp. 674.

saeculo a. Chr. n. primo. In idem tempus necesse est incidamus, si ad Ammonium respexerimus, qui Artemidori fide loco modo laudato affertur. De Ammonii autem aetate dissensio valet magna inter doctos. Sine dubio illo loco is Ammonius intelligendus est, quem, priusquam ad Augustum conferretur imperium, unum fuisse ex Aristarchi successoribus Suidas s. v. testatur his verbis: *Ἀμμώνιος, Ἀλεξανδρεύς, Ἀλεξάνδρου γνώριμος, ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον.* Quibuscum conferendus est alius Suidae locus s. v. *Τρύφων, Ἀμμωνίου, Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός, γεγονὼς κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους καὶ πρότερον.* His locis unus idemque intelligendus est Ammonius; nam quum Ammonius ante Augustum regnantem schola insignis esset Aristarchea, facile fieri poterat, ut Tryphon filius patre etiam vivo artem grammaticam profiteretur, patreque mortuo, quum Augustus imperium iam teneret, profiteri illam pergeret. Quod Graefenhanius I. pg. 402 Ammonium plus semisaeculo ante Augustum vixisse contendit, ex Suidae verbis *διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου* profectum est omnino non perspectis, quibus nihil aliud dicitur, nisi Ammonium unum fuisse ex successoribus Aristarchi, neque vero proximum illum fuisse Aristarchi successorem, qui si tricenarius factus esset anno 113, quo Aristarchus mortuus iam videtur, minime verisimile est, Suidam ad Ammonii aetatem definiendam Augusti imperium nominasse. Ex his satis apparere puto, Ammonii aetatem in medium fere saeculum a. Chr. n. primum incidisse. Quoniam igitur in scholio Aristoph. s. allato Artemidorus de sententiis Apollonii et Ammonii iudicans refertur, Artemidorum sequitur ne dicam illis mortuis vixisse, in recentius certe tempus reiciendum esse. Forsan suspicari possis, Artemidori natales in annos 80 v. 70 incidere, qua cum temporum computatione Theonis filii aetas conspirat. Rankeio, de lexici Hesych. vera origine, ed. Lips. 1831, pg. 104, minime assentiri possum suspicanti, non diversos esse Artemidorum Aristophaneum, ad quem

omnia refert, quae Artemidori nomine subscripta ad grammaticam pertinent, et Art. Ephesium geographum, et quod inde sequeretur, non diversa esse opera *περὶ Δωρίδος* et *Ἰωνικὰ Ὑπομνήματα* (ab Athenaeo III. 111 d. Art. Ephesio tributa), sed partes fuisse maioris operis, quod Erotianus in Gloss. Hippocr. pg. 244 universe *Ἀρτεμιδώρου λέξεις* appellaret, atque unum eundemque Artemidorum ab Athenaeo modo Ephesium modo Aristophaneum vocatum esse. Quae argumentatio et ipsi Ahrensio, pg. XXXVIII, quamquam non ignoranti, eius suspicio si constaret, gravissimo argumento se uti posse ad sententiam suam de Artem. Aristoph. aetate confirmandam, nimium debilis videtur et arrogans, atque contra Rankeium multum valere profitetur, „quod Artemidorus Ephesius vel geographus, vel Aristophaneus vel grammaticus his ipsis appellationibus consulto distingui inter se videantur“. Mirum videri debet, Meierum[47]), professorem Halensem p. m., quamquam magis eo inclinaret, ut diversos esse eos arbitraretur, tamen *Ἰωνικὰ ὑπομνήματα*, ab Athenaeo Art. Ephesio ascripta, partem habuisse maioris illius operis, quod *λέξεις* vel *συναγωγὴν λέξεων* inscripsisse videretur Artemidorus Aristophaneus.

Rectius vero Ahrensio, pg. XXXVIII. Fritzschius pg. 29 suspicari videtur, Artemidorum Aristophaneum illum intelligendum esse, quem Strabo XIV. pg. 675 claris Tarsensibus adnumeraverit his verbis: *γραμματικοὶ δὲ ὧν καὶ συγγράμματα ἔστιν Ἀρτεμίδωρός τε καὶ Διόδωρος*, et quum huius suspicionis Fritzschius non addiderit causas, ipse eas afferre studet, quae an firmae sint, valde dubito. „Mirum sane, inquit,

---

[47]) Cfr. M. H. E. Meier, Opuscula Academica, ed. Eckstein et F. Haase, II. p. 26. Hic liber commentationes continet collectas, quas Meierus pluribus praelectionum in univers. Halensi habitarum indicibus praemisit, in his sex commentationes de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem, quarum ultima breviter quidem, sed diligenter docteque lexicorum veterum tractat historiam. II. p. 1—180.

fore, si huius Artemidori, cuius scripta exstabant, hodie ne ullum quidem vestigium superesset.“ At quot sunt veteres grammatici, quorum nomina tantum memoriae tradita sunt? Aut unde compertum habet ille, hodie ne ullum quidem vestigium illius viri grammatici superesse? Nonne facile vocum comicarum interpretationes et in Callimachum commentarii, quos argumentis haud certis Aristophaneo Ahrensius tribuit, ad illum Tarsensem referri possunt? Potissimum Ahrensius ad sententiam comprobandam illud urget, quod Artemidorus illo loco simul cum Diodoro nominatur, quem et ipsum ab Athenaeo IV. 180e. XI. 501d. et in schol. Pind. Isthm. II. 54 Aristophaneum putat appellatum esse. Longum est, omnia quae de Diodoro grammatico a veteribus traduntur testimonia in examen vocare, praesertim quum diligenter collecta sint ab ipso Ahrensio, qui omnibus locis, quibus Diodori cuiusdam commemorantur res grammaticae, Diodorum Tarsensem ab Aristophaneo non diversum intelligendum censet, eiusque aetatem in Augusti imperio ponit, quod et Strabo mentionem eius fecisset et cum Apione operam ille consociasset.[48]) Concedo quidem Ahrensio, vixisse imperante Augusto Diodorum quendam grammaticum, ad quem quid sit referendum conicere non licet, nisi forte Homero operam illum navasse ex eo probabile fit, quod una cum Apione citatur. At utrum Aristophaneus intelligendus sit, an Tarsensis, certis comprobari non potest argumentis. Unum ab altero non diversum esse, quin Ahrensium secuti coniciamus, dubitatione haud exigua impedimur; nam etiamsi Diodori afferuntur glossae Italicae (Athen. XI. 479a.) atque Aristophanes Byz. hoc glossarum conquirendarum studium prae ceteris incepit, omnino conicere non licet, Diodorum propter glossarum Italicarum conquirendarum studium appellatum esse Aristophaneum; multi enim grammatici glossas

---

[48]) Cfr. Beckeri Anecdd. p. 784. — Athen. XI. 501d. 642e.

conquisivere, quibus cognomen Aristophaneis non inditum est. Huc accedit, quod in titulo libri Chrysippei *πρὸς τοὺς κριτικοὺς πρὸς Διόδωρον* Diodorus affertur, quem Aristophaneum putat Boeckhius, praef. Pind. schol. pg. XIII., cuius suspicio si vera est, Diodorus Aristophaneus proxime accedat necesse est ad ipsum Aristophanem Byz. — Itaque et Diodorum et Artemidorum Tarsenses a Strabone commemoratos distinguendos puto ab Aristophaneis. Tarsenses autem saeculo a. Chr. n. primo vixisse, inde conici possit, quod a Strabone commemorantur, quem quum iter per Asiam minorem ante an. 30 a. Chr. faceret, Tarsi illos ipsos cognovisse puto. Artemidoro vero Tarsensi si *λέξεις κωμικάς* et commentarios in Callimachi *Αἴτια* vindicamus, ad suspicionem facile adduci possumus, Theonem grammaticum, cuius eadem laudantur studia, huius Artemidori Tarsensis filium fuisse, et filium aut una cum patre operam consociasse in Callimacho interpretando condendoque lexico comico, aut usum esse patris copiis, quo facile fieri poterat, ut modo patri modo filio singula tribuerentur.

Itaque omnia, quae uberius de Theonis grammatici vita atque aetate disputavi, ut brevibus comprehendam, non temere suspicari mihi visus sum, Theonem grammaticum in schola Tarsensi ab Artemidoro patre instructum Alexandriam se contulisse, ibique Didymum fere aequalem vel paulo superiorem audivisse et postea ipsum docuisse grammaticam in Museo; quod docendi munus transiisse videtur ad Apionem; quare Augusto imperatore Theonem grammaticum floruisse non est cur negemus. Laudem vero haud exiguam sibi acquisivisse Theonem, quum ex fragmentis, quae eius sparsim afferuntur, elucere puto, tum praecipue e notitia quadam Suidae, qui *Θεωνείους* commemorat i. e. Theonis asseclas. Cogitandum esse de Theonis grammatici asseclis, aliquam veri speciem ex similibus significationibus accipit grammaticorum discipulorum atque imitatorum, e. g. *Καλλιμαχείοις*, *Ἀριστοφανείοις*, *Ἀρισταρχείοις* aliis.

III.

De Theonis studiis grammaticis eorumque reliquiis.

Venimus nunc ad indaganda ea, quae vindicantur Theoni scripta a veteribus scholiastis ac lexicographis, quapropter fragmenta mihi colligenda videntur singulorum Theonis operum, ratione simul habita vestigiorum, quae ipso Theonis nomine non apposito ex Theonis scriptis hausta esse videntur. Praeterea de coniecturis sermo erit illorum, qui de scholiorum fontibus egerunt, in quibus Theonem locum haud ultimum obtinere a viris doctis ne dicam demonstratum, certe pro explorato habitum esse videbimus. Commentatus autem est Theon Homerum (Pindarum?), Theocritum, Nicandrum, Apollonium Rhodium, Lycophronem, Callimachum; praeterea *λέξεις κωμικάς* interpretatus est. Quorum quae supersunt fragmenta deinceps nunc afferam.

Commentarius de Homeri Odyssea duobus hisce locis claris verbis Theoni tribuitur:

Etym. Magn. s. v. *Πύελος* (ed. Gaisford. Lond. 1848. p. 695) *Κυρίως ὅπου τοὺς πυροὺς πλύνουσι, πυρέλους τινὰς ὄντας· ἐκβολῇ τοῦ ρ, πυέλους· πυοὺς δὲ λέγουσι καὶ δίχα τοῦ ρ τοὺς πυρούς. Εἰσὶ δὲ σκαφίδες ἐν αἷς λούονται· παρὰ τὸ πεπυθὸς (τουτέστι τὸ σέσηπος) ἑλεῖν. Οὕτω δὲ ἔλεγον πλυνοὺς, ὡς Θέων ἐν ὑπομνήματι τῆς Ὀδυσσείας* (XIX. 553.) Eadem fere exhibent Etym. Gudianum, Theonis nomine omisso, itemque Et. Orionis, breviterque Hesychii Photiique lexica. Cfr. Schol. Aristoph. Equit. 1060. Vesp. 141.

Etym. Angel. (ed. Ritschl. p. XII) s. v. *Δόρυ· δρύον ἂν εἴη περὶ (παρὰ) τὴν δρῦν, οἷον δρύϊνον. οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Θέωνος εἰς τὴν Ὀδύσσειαν* (V. 162. 371).

Eodem pertinere videntur, quae de duplice vocis *ἄκμηνος* significatione deque accentu leguntur in Et. M. s. v. *Ἄκμηνος. Λέγεται καὶ ἐπὶ τοῦ ἀκμάζοντος Ὀδυσσείας·* (XXIII. 191.) „*θάμνος ἔην τανύφυλλος ἐλαίης, ἑρκέων ἔντος Ἄκμηνος, θαλέθων.*“ *Ὁ θάλλων καὶ ἀνθῶν· παρὰ τὸ ἀκμή, ὃ σημαίνει τὴν ἡλικίαν· τοῦτο παρὰ τὸ ἄγω, ἀγή, καὶ πλεονασμῷ τοῦ Κ, καὶ τροπῇ τοῦ Γ εἰς Μ, ἀκμῇ, ἄκμηνος.* Haec valde confusa sunt, ut comparebit, si Et. Gud. comparaveris. Cfr. Orion. Et., Zonarae lexic. Crameri Anecdd. I. 74. Haec prior pars e Theonis commentario an hausta sit, incertum est; in sequentibus vero illum auctori ante oculos positum esse, verisimile videtur. Pergit enim Et. M. *Ἄκμηνος σίτοιο, ἄγευστος, ἄσιτος, διὰ τοῦ Η. . Ὁ γὰρ διὰ τοῦ ΗΝΟΣ τύπος τὴν ὀξεῖαν ποθεῖ. Καὶ οἱ μὲν ἁπλῆν παρὰ τὴν ἀκμὴν λέγουσιν· οἱ δὲ σύνθετον, ἤτοι κατὰ στέρησιν τῆς ἰκμάδος, οὐδὲ τὸν μὴ κεκμηκότα περὶ τὰ σιτία. Ὁ δὲ Ἀρίσταρχος τὸν ἄκμηνον λέγει προπαροξυτόνως παρὰ τὴν ἀκμήν· Θέων δὲ ὀξύνεσθαι ἀξιοῖ ὡς ἀγαθός. ἔνιοι δὲ προπερισπῶσιν. Ἢ παρὰ τὴν ἀκτήν, τὸν σῖτον.* Apparet hoc loco Theon Aristarchi adversarius, qui vocem *ἄκμηνος*, ubi *θάλλων, ἀνθῶν* valet, *ὀξυτόνως*, ubi *ἄγευστος, προπαροξυτόνως* scripsit. Cfr. Lehrs. Aristarch. pg. 377. Theon vero ubique oxytonesin adhibendam dicit; quum igitur ad Odysseam (XXIII. 191) Aristarchi hac de re sententia et in scholiis et in Et. M. afferatur, et ipsius Theonis sententiam ex eius in Odysseam commentario haustam esse puto.

Ad eundem commentarium non dubito referre locum de origine vocis *ἀρετή* in Crameri Anecdd. Paris. IV. pg. 61:

Ἀρετή] αἱρετή τις ἐστίν· ἣν αἱροῦνται πάντες, οὕτως Δίδυμος ἐν ὑπομνήμασιν.... ὡς δὲ ἐν ὑπομνήσει εὗρον Θέωνος, ἀρεστή. Eadem leguntur in Koesii excerptis e Codice regio Paris. 2630 apud Sturzium, Orion. Et. pg. 185, ubi adduntur haec:

καὶ ἀποβολῇ τοῦ σ, ἀρετή, ἡ πᾶσιν ἀρέσκουσα. Receptae quoque sunt diversae illius vocis interpretationes in Et. M. et in Zonarae lexicon, sed auctorum nominibus non adiectis, itemque in Or. Et., ubi pro Theonis nomine positum est *ὡς δὲ ἄλλοι.* Ipsam vero interpretationem, qualis profecta sit ab ipso Theone in Et. Gud., agnoscere mihi videor, ubi haec leguntur: *Ἀρετὴ, ἄρεσκον τῷ θεῷ τι, ἢ ἀρετὴ ἥτις ἐραστὴ καὶ φιλητή. Ἀρετὴ λέγεται παρὰ τὸ ἀρέσκειν τῇ ἀληθείᾳ τὸ γινόμενον, ἢ ἀρετὴ ἐκ τοῦ ἀρέσκεσθαι καὶ ὑπὸ πάντων ἐπιθυμουμένη,...* Quae locis laudatis vocis *ἀρετή* originatio Didymo tribuitur, ex eius commentariis Homericis petitam esse eam Larcherus ad Et. M. et Schmidtius, Did. fr. pg. 185 putaverunt, quorum si vera est suspicio, Theonis quoque interpretationem ex commentario in Odysseam haustam esse coniecerim. Nec minus ad eundem commentarium retuleris, quae Theonis leguntur apud

Stephanum Byz. pg. 290 (ed. Westerm.) s. v. *Ὑπερησίη· πόλις τῆς Ἀχαΐας· οἵ θ' Ὑπερησίην τε καὶ αἰπεινὴν Γονόεσσαν Ὅμηρος. κακῶς δὲ Θέων Ὑπέρειαν αὐτὴν καλεῖ,...* Versus laudatus quidem petitus est ex Iliade II. 573, qua re motus Graefenhanius III. pg. 251 Iliadem quoque interpretatum esse Theonem concludendum ait; haec vero non est causa, cur illi assentiar; nusquam enim Theon tanquam interpretatus Iliadem commemoratur, quamobrem Ahrensio, bucol. gr. II. pg. XXVIII assentiri malim, illud ad Odyss. XV. 254 pertinere putanti, quo loco quum scholia oppidum Argolicum agnoscant ab Hyperesia Achaica diversum (Il. II. 573), Theon illud cum fonte Argolico *Ὑπέρεια* (Il. VI. 457) composuisse videtur. Nec minus conicere licet, alio Odysseae loco (VI. 4) Theonem illum commisisse errorem, ubi Hyperia commemoratur prior Phaeacum sedes. M. Schmidtius (Ztschrft. f. Alterth. 1853. pg. 525) ex comparatione Stephani cum scholiis Apollonii Rh. intellexisse sibi videtur, locum illum de Hyperesia ex Theonis commentario in Apoll. Rh. Argonautica desumptum esse; equidem vero scholiis illis inspectis ullum vesti-

gium, quo Schmidtii suspicio confirmetur, invenire non potui. Alio Theonis fragmento a Steph. B. s. v. *Ἄλος* servato, quod Graefenhanius ex Theonis in Iliadem commentario desumptum esse putat, sed commentario in Apoll. Rh. tribuendum infra docebo, adeo deceptus Schmidtius mihi videtur, ut fragmentum quoque de Hyperesia ex illo commentario Apoll. petitum pro explorato habuerit. — Haec fragmenta quinque ex Theonis commentario de Odyssea hausta videntur.

Pindari quoque interpretibus adnumerandum esse Theonem, scholium omnes dicunt docere ad Olymp. V. 42 (Boeckh. Pind. II. pg. 125) *Ἰδαῖον ἄντρον ἐν Ἤλιδι. Δημήτριος ὁ Σκήψιος· νεὼν* (cod. *νέων*) *διακόσμου ἱερὸν Διός. ἔνιοι δὲ νομίζοντες μὴ τῶν ἐν Ἤλιδι χωρίων αὐτὸν μεμνῆσθαι, ὑπέλαβον μνημονεύειν Ἴδης τῆς ἐν Κρήτῃ, ἢ τῆς ἐν Τροίᾳ· οὕτω Θέων φησίν.* In praefatione pg. 22 Boeckhius scribendum censet: *Ἰδ. ἄντρ. ἐν Ἤλ. ἱερὸν Διός. Δημ. ὁ Σκ. Νεῶν διακόσμου.*

Hoc Theonis fragmentum multum valere ad Pindarum interpretandum, eo demonstratur, quod Boeckhius illo nisus coniecturam retractat, quam antea proposuerat. Adnotat enim ille l. l.: „Praeclara nota quamvis corrupta; lucramur enim apud Eleos Idaeum antrum, quo omnis de loci Pindarici integritate dubitatio tollitur atque id efficitur, ut interpreti non iam ad coniecturam confugiendum sit, quam de metr. III cap. XIX proposui.“ Theonem illo loco laudatum a nostro non esse diversum arbitror, etiamsi Boeckhius, praef. ad Pind. schol. II. pg. XXIV Theon, inquit, grammaticus ut videtur, qui in tanta Theonum copia quis sit, haud facile quisquam invenerit. Suspicio mea eo, quod necesse est recentior sit Theon Demetrio Scepsio, Cratetis et Aristarchi discipulo, etiamsi non comprobatur, tamen non refutatur. An vero ex illo scholio conicere possis, Theonem Pindarum explicasse, magnopere dubitari potest. Nullo enim alio loco Theon Pindarum interpretatus commemoratur, quamobrem propius ad veritatem accedere videtur, illud scholion Pindaricum Theonis nomine subscriptum e commentario Theonis in Apollonium Rho-

dium facto ab illo, qui scholia Pindarica collegerit, receptum esse; nam scholia Apoll. Rh. Argon. III. 134 eadem exhibent de antro Idaeo, auctoritate quidem Theonis non apposita; Theonis autem in Apollonium Rh. commentarium a scholiasta Apolloniano inspectum esse infra videbimus.

Theocriti carmina Theonem interpretatione illustrasse certis comprobatur testimoniis. Legitur enim in Cod. Paris. Reg. 2630, Etym. Angel. pg. VIII ed. Ritschl.: *Γρίπος — Θεόκριτος Τοῖς δὲ μετὰ γριπεῦσι· γριπεὺς γὰρ ὁ ἁλιεύς. καὶ γρίπος τὸ ἁλιευτικὸν δίκτυον, οἷον ἄγριπον. ἀγρεῖν δὲ τὸ λαμβάνειν. οὕτω Θέων ἐν ὑπομνήματι τῷ εἰς Θεόκριτον.* Eadem fere Theonis auctoritate omissa exhibentur in Et. Or., Et. Gud., Et. M., apud Hesychium, Zonaram. Pertinet autem haec observatio ad Theocriti Idyll. I. 39, ubi scholia haec praebent: *γριπεὺς ὁ ἁλιεύς, καὶ γρίπος τὸ δίκτυον, παρὰ τὰ τοὺς ἰχθύας ἀγρεύειν.* Quamquam in scholiis, quae in Theocritum hodie circumferuntur, nusquam Theonis nomen invenitur, tamen Fulvius Ursinus in Virgilii collatione (cfr. Fabric. b. gr. II. pg. 437) omnia, quae nunc in Theocritum manu terimus scholia, soli Theoni tribuit eoque audaciae progreditur, ut sub nullo alio quam Theonis nomine scholia citare soleat. (Cfr. Wartoni notitia scholior. Theocr., quam Duebnerus in schol. Theocr. Paris. 1849 repetendam curavit. pg. XI—XIV.) Quamquam igitur recte Schmidtius loco saepius iam laudato nostra scholia aevi esse ait recentioris atque iniquius de iis iudicasse M. Hauptium in mus. Rhen. IX. 2. pg. 263, tamen multa in scholiis agnoscimus, quae antiquioribus interpretibus debentur, de quibus fusius Wartonus disserit, qui, quum nec Theonis neque Amaranthi nec Neoptolemi nomen in scholiis inveniatur, tres illos putat potissimum conditores scholiorum in Theocritum reputandos commentarium Nicanoris intexuisse, librosque Munati et Asclepiadis Myrleani hinc inde citavisse. Quae Wartoni suspicio aliquam verisimilitudinis speciem accipit, si temporis illius respexeris consuetudinem omnia componendi ac colligendi, quae antea

ad scriptores interpretandos scripta erant. Cuius rei prae omnibus testis est Didymus, cuius in colligendo diligentia quanta fuerit, ingens eius scriptorum numerus demonstrat. Quamobrem Theonem quoque illi consuetudini indulsisse conieceris atque in Theocriti carminibus explicandis priorum commentarios ita collegisse, ut ipse nonnulla addidisset. Hoc autem Theonis hypomnema ipsum illi, qui postea scholia redegit, pro fundamento fuisse eo comprobari videtur Ahrensio, buc. gr. II. pg. XLVII, quod Theonis nomen nusquam in scholiis nominatur, ut vel antiquior commentator Asclepiades vel iuniores Nicanor, Theaetetus, Munatus. Itaque Theonis commentarium excerpsisse suspicatur Eratosthenem Scholasticum et alia addidisse et ea, in quibus recentiores commentatores Nicanor, Theaetetus, Munatus vel alii auctores Theone recentiores adhibiti essent, ut Epaphroditus [sub Nerone][49]) vel Oppianus (sub Marco Antonino). Ipsam suspicionem Ahrensii egomet ipse mihi vindicaverim, causas vero, quas ad illam comprobandam affert, veras esse et firmas vereor, ne illi concedam. Amaranthi enim nomen, quem et ipsum commentatum esse Theocritum Etym. M. s. v. διεκρανώσατε testatur, in Theocr. scholiis etiam non habetur neque minus Neoptolemi nomen, unde eodem iure, quo Ahrensius de Theone usus est, concludere possis, illorum commentarium illi, qui scholia postea redegerit, pro fundamento fuisse. Quare hoc unum pro explorato statuendum est, Theonem in explicando Theocrito usum esse antiquioribus commentatoribus, Theonis vero commentarium rursus a recentioribus interpretibus adhibitum esse, quorum interpretationum quae scholia colligentibus pro fundamento fuerint, diiudicari omnino nequit. Theonis autem auctoritatem nusquam scholiis appositam esse,

[49]) Summo mihi est gaudio, dissertationem laudare de Epaphrodito grammatico, quam Bonnae edidit mens. Iul. a. 1866 Dr. E. Luenznerus, quocum utpote similem tractante materiam diu Bonnae trivi veterum scholia.

mirum non est, quia auctorum nomina fere ubique omissa videbis, si huius rei habueris rationem. Nusquam in scholiis Theocr. nomina occurrunt Theonis, Neoptolemi, Amaranthi, semel tantum Asclepiadis (Idyll. I. 118), bis Munati (II. 100. XVII) non raro quidem Ameriae, bis Theaeteti (I. 147. 114). Itaque facile fieri poterat, ut Theonis auctoris nomen per manus compilantis scholiaque in breviora et contractiora transmittentis paullatim evanesceret. Quae quamquam ita sunt, omnino infitiandum non est, multa ex scholiis, quae nunc habemus in Theocritum, ex Theonis hypomnemate profecta esse, id quod negat Westermannus, Theocr. Reliqu. praef. pg. XVI dicens: „Theonis nomen si in codice quodam praepositum est, ex magna scholiorum quae partim exigui pretii sunt farragine paucissima tantum Theonem habere videntur auctorem. Simile igitur quidquam in Theonis nomine accidisse dixeris atque in Didymi, ad quem scholia minora in Homerum vulgo solent referri.“ Quaenam Theoni vindicanda sint scholia, praeter notitiam de voce *γριπεύς* nonnulla indicia exstant. Scholion ad Theocr. IV. 51: *Ἁρμοῖ, εἰ μὲν ψιλοῦται, τὸ ἀρτίως καὶ νεωστὶ σημαίνει· εἰ δὲ δασύνεται, τὸ ἡρμοσμένως*, e Theonis hypomnemate Theocr. profectum esse dixeris, si quae Etym. M. pg. 144 hac de voce affert, comparaveris: *Ἁρμὸς, ἁρμοῦ, ἁρμῷ. Αὕτη ἡ δοτικὴ μετῆλθεν εἰς ἐπιῤῥηματικὴν συντονίαν, καὶ ἐφύλαξε τὴν αὐτοῦ γραφήν· οἷον ἁρμῷ σημαίνει τὸ ἀρτίως. Ὁ δὲ τεχνικὸς λέγει, ὅτι παρὰ τοῖς Συρακοσίοις διὰ τοῦ ι γράφεται. Ἐκεῖνοι γὰρ Ἁρμοῖ λέγουσι κατὰ συστολὴν τοῦ Ω εἰς τὸ Ο, οἷον παρὰ Καλλιμάχῳ· „Ἁρμοῖ γὰρ Δαναῶν γῆ ὡς ἀπὸ βουγενέως.“ — Σημαίνει τὸ ἀρτίως ἢ ἁρμοδίως· „Ἁρμοῖ που κἀκείνῳ ἐπέτρεχε λεπτὸς ἴουλος.“ Οὕτως Θέων ὁ τοῦ Ἀρτεμιδώρου· προστίθησι δὲ, ὅτι τὸ ἁρμοῖ ψιλούμενον μὲν σημαίνει τὸ ἀρτίως, δασυνόμενον δὲ τὸ ἁρμοδίως. Ἔστι καὶ παρὰ Λυκόφρονι.* (Cfr. Hesych. s. v. et interpretes. Schol. Lycophr. pg. 23. Erotian. pg. 14. Schol. Aeschyl. Prom. 616. Eustathius, Il. I. pg. 141. Schol. Apoll. Rh. I. 972. Lob. ad Phryn. pg. 19.)

Haec scholii cum Etym. M. comparatio simul ostendit, quomodo postea alius scholia excerpserit et in breviora contraxerit commentarios, quibus usus est in colligendis scholiis. Schmidtius illud fragmentum desumptum esse putat e Theonis commentario in Callimachi *Αἴτια*, quae explicasse illum infra cognoscemus. Versum autem ab Etym. M. citatum: *ἀρμοῖ που* etc., ex Callimachi Hecale esse petitum, Naekius demonstravit in mus. Rhen. 1834. pg. 578. Quo ex opere alter versus desumptus sit, incertum est. Itaque ob convenientiam, quae inter scholium Theocriteum et Etym. M. intercedit, probabilius mihi videtur, fragmentum illud esse commentarii Theonis in Theocriti Idyllia. Quod indicium affert Ahrensius, pleraque scholiorum vetustiorum ad Theocritum, quae non in singulis familiis accessisse viderentur, a Theonis ingenio non aliena esse, propterea mihi haud gravis momenti esse videtur, quod indolem ingeniumque Theonis non ita comperta habemus, quibus uteremur ad disquirenda eius fragmenta. Aliud vero exstat indicium, quod nobis persuadere possit, et alia in Theocritum scholia Theonem habere auctorem; leguntur enim scholia cum scholiis Apollon. Rhod. insignem in modum conspirantia, de quibus velim inspicias Ahrensii bucol. gr. II. pg. LXIV, qui recte putat fieri potuisse, ut Theon, quum utrumque poetam commentatus esset, adnotationibus suis in alterum poetam factis etiam ad alterum illustrandum uteretur. Omnia, quae de Theone Theocriti interprete disputavi, ad Theonem grammaticum Augusto regnante vitam degentem non dubito referre. Schmidtius vero, quamquam commentarium Theocriteum eidem Theoni vindicat, tamen Artemidori aetatis nulla habita ratione fortasse non soli casui dandum putat, quod de Theocriti idylliis et Artemidorus aliquis et Theon bene mererent, quorum alterum Theocriti carmina collegisse suspicatur, alterum fortasse filium illa interpretatione illustrasse. Supra vero demonstrare conatus sum, non de Artemidoro carminum Theocriti collatore cogitandum

esse, ubi Theon Artemidori nominatur filius. Quare ille, ne sibi ipse dissentiatur, Artemidorum medio fere saeculo primo a. Chr. n. carmina Theocriti collegisse arbitretur necesse est, id quod verisimile non esse supra docuisse mihi videor. Haec habeo dicere de Theone Theocriti interprete.

Inter Nicandri interpretes Theonem quoque habendum esse, quum scholia docent, tum Stephanus Byzantius.

Steph. B. pg. 166 (= 375 ed. M.) s. v. *Κορόπη*] *πόλις Θεσσαλίας. ὁ πολίτης Κοροπαῖος· Νίκανδρος δ' ἐν Θηριακοῖς* (613) *„ἣ ἐν Ἀπόλλων μαντείας Κοροπαῖος ἐθήκατο καὶ θέμιν ἀνδρῶν". οἱ δὲ ὑπομνηματίσαντες αὐτὸν Θέων καὶ Πλούταρχος καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς* (*ὁ Χλωρός* M.) *φασι· „Νίκανδρος Ὀροπαῖος καὶ Κοροπαῖος Ἀπόλλων. ἀγνοεῖ δ' ὅτι Ἀμφιαράου ἱερὸν* [*οὐκ*] *Ἀπόλλωνός ἐστιν. λέγεται δὲ κατ' ἔλλειψιν τοῦ Κ Ὀροπαῖος. Κορόπη δὲ Θεσσαλίας πόλις βέλτιον δ' ὑπονοεῖν, ὅτι ἡμάρτηται καὶ γράφεται Ὀροπαῖος. Ὀρόπη γὰρ πόλις Εὐβοίας, ὅπου Ἀπόλλωνος διασημότατον ἱερόν.* Quibuscum conspirat schol. Nicandr. Theriac. 614: *Κοροπαῖος· τινὲς Θεσσαλικός· Κορόπη γὰρ πόλις Θεσσαλίας. Γράφεται καὶ Ὀροπεῖος· Ὀρόπεια γὰρ πόλις Βοιωτίας, ὅπου διασημότατον ἱερὸν Ἀπόλλωνος.* — Et ipsis in scholiis Theoni hypomnema in Nicandrum vindicatur:

Schol. ad Ther. 237: *Πολλάκι μὲν χλοάουσα ἀντὶ τοῦ χλωρά, μεταπεποίηκε δ' ἐκ τοῦ Νουμηνίου, ὡς φησιν οὕτως ὑπόχλωρον μὲν ἕλκος — κυκλαίνει, τὸ δὲ πολλὸν ἀνέδραμεν αὐτόθεν ἕλκος. Διογενιανὸς δὲ χλοάειν καλῶς αὔξεσθαι καὶ βλαστάνειν, Θέων δ' ἐν ὑπομνήματι χλοάουσα ἀντὶ τοῦ οἰδοῦσα, κατὰ πλέον δὲ τίθεται τὸ χλοάειν ἐπὶ τῆς αὐξήσεως.*

Respiciuntur his in fragmentis sola Nicandri Theriaca, quare conicere licet, sola illa explicasse Theonem, quae coniectura maiorem accipit verisimilitudinem observatione Bussemakeri, qui in praefatione scholiorum Nicandri omnes explicationes, quae ex aliorum Nicandri interpretum commentariis quum in ipsis scholiis, tum apud veteres scriptores superessent, spectare ait Theriaca, atque unicum Pamphilum

reliqua Nicandri carmina non indigna habuisse videri, quae commentario illustraret, et hinc fortassis pendere textus corruptionem in Alexipharmacis maiorem etiam quam in Theriacis. Nicandri vero interpretem a grammatico non esse diversum et Bussemakero et mihi probabile videtur propterea quod apud Steph. B. l. l. Theon inter explanatores primum locum obtinet, ut conicere possis, Theonem Plutarcho atque Demetrio Chloro antiquiorem fuisse; nam illo loco perperam additum esse cognomen Phalerei, temporis computatio docet, quia Demetrius Phaler. Nicandro longe antiquior est, quare legendum puto Meinekium secutus *Δημήτριος ὁ Χλωρός*, qui ter in scholiis Theriac. (377. 541. 585.) citatur. Wartonio autem in notitia de schol. Theocr. pg. XI. apud Duebnerum Theon, Nicandri interpres, medicus non grammaticus fuisse videtur; sed recte Bussemakerus non mirandum dicit, Nicandrum *ἐποποιὸν φιλάρχαιον καὶ πολυμαθῆ* (Athen. III. 126 b.) grammaticos excitasse ad Commentarios componendos. Hactenus de Theone Nicandri interprete. Progrediamur ad inquirenda fragmenta, quae Theonis exstant

Hypomnematis in Apollonium Rhodium. Scholia in Apollon. Rhod. sic subscripta vel potius inscripta sunt: *παράκειται τὰ σχόλια ἐκ τῶν τοῦ Λουκίλλου Ταῤῥαίου καὶ Σοφοκλέους καὶ Θέωνος* (cfr. ed. Wellaueri pg. XIV. Merkelii p. LXVI.), unde interpolata esse scholia in Aristoph. Nub. 397 omnes consentiunt. Affertur enim illo in scholio Apollonii versus: *Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται* (IV. 263), atque haec adduntur: *τοῦτο δὲ τοὔπος οἱ περὶ τὸν Λούκιλλον τὸν Ταῤῥαῖον, καὶ Σοφοκλεῖον καὶ Θέωνα ἑρμηνεύοντες τάδε φασίν· Οἱ Ἀρκάδες δοκοῦσι πρὸ τῆς σελήνης γεγονέναι.* Haec interpres quidam adscripsisse videtur orae codicis sui hausta ex enarratoris cuiusdam Apollonii commentario. Fragmentum Theonis in Apollon. Rh. commentarii non difficile est agnoscere apud

Steph. B. pg. 34 (= pg. 78 M.) s. v. *Ἄλος πόλις Ἀχαΐας, καὶ Φθιώτιδος ὑπὸ τῷ πέρατι τῆς Ὄθρυος. ἀπέχει δὲ Ἴτωνος*

ὡς ἑξήκοντα σταδίους. κτίσαι δ' αὐτὴν Ἀθάμαντα ἀπὸ τῆς συμβάσης αὐτῷ ἅλης. Θέων δέ φησιν, ὅτι Ἄλος θεράπαινα ἦν Ἀθάμαντος ἡ μηνύσασα τὴν Ἰνὼ φρύγειν τὰ σπέρματα ἧς εἰς τιμὴν τὴν πόλιν ὠνόμασεν, δύο δὲ Παρμενίσκος Ἄλους ἱστορεῖ, τὸν μὲν Μαλιακὸν ὑπὸ Ἀχιλλεῖ, τὸν δὲ ὑπὸ Πρωτεσιλάῳ, λέγεται δὲ καὶ ἀρσενικῶς καὶ θηλυκῶς. τὸ ἐθνικὸν Ἀλεύς, Σοφοκλῆς δὲ Ἀλουσίους. τινὲς δὲ τῶν γλωσσογράφων Ἀλίους. Scholia quidem edita Theonis nomen prorsus ignorant, sed quae ad Apoll. I. 514 leguntur: Ἀθαμάντιον δέ, πεδίον οὕτω καλούμενον περὶ τὴν Ἄλον, sine dubio ex Theonis hypomnemate desumpta sunt. Cfr. etiam Schol. Apoll. I. 482. Potissimum vero urgendum est, apud Steph. B. l. l. Theonem cum Sophocle coniunctum esse, id quod insignem in modum cum inscriptione scholiorum conspirat. His puto refutatam esse Graefenhanii sententiam, qui quum Ἄλος urbs in Iliad. II. 682 nominaretur, illud Theonis haustum esse suspicatus est ex eius in Iliadem commentario, de quo nihil memoriae traditum est. Neque minus in errore Meinekius versatur, qui causis non additis in indice Stephani Byz. illud ad Theonis in Lycophronem commentarium retulit. Locus Stephani Byz. de Hyperesia an referendus sit et ipse ad Theonis commentarium in Apoll. Rh., fortassis ad I. 177, ut Schmidtio placet, diiudicari nequit. Ad commentarium in Odysseam melius referri illum supra docui, sed, quum Theon utrumque commentatus sit poetam, etiam in utroque commentario eadem protulisse Theonem, omnino non negaverim. Theonem Apollonii interpretem eundem esse atque grammaticum non est causa, cur non credamus, quia non casui tribuendum mihi videtur, in insignium poetarum Alexandrinorum carmina interpretanda Theonem grammaticum commemorari potissimum intentum. Quibus motus Kuesterus ad Suidam s. v. Θέων hunc Theonem eundem esse putaverit atque Aelium Theonem Rhetorem Alexandrinum, de quo quid supra nro. 5 disseruerim velim videas, omnino non percipio.

Neque minus propterea, quod persuasum mihi videtur, omnes, qui Theonis cuiusdam nomine sunt ornati, commentarios ad poetas Alexandrinos interpretandos scriptos ad unum eundemque grammaticum referri, eidem tribuendos puto commentarios, qui Theonis in Callimachi *Αἴτια* et Lycophronis Alexandram in Et. M. et apud Steph. Byz. commemorantur.

Theonis commentarii in Callimachi *Αἴτια* haec supersunt fragmenta ipso Theonis nomine apposito:

Et. M. pg. 207 v. *Βουκεραΐς· Κρήνη ἐν Πλαταιαῖς, ἥτις ὠνόμασται, ὅτι Πόλυβος, ἐξ Ἄργους ἐπέκτισε Πλαταιὰς μετὰ τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν βοὸς αὐτῷ ἡγουμένης κατὰ χρησμόν, ὥς ποτε Κάδμῳ· ἣν ἐκεῖσε κατακλιθεῖσαν τῷ κέρατι πατάξαι τὴν γῆν, καὶ κρήνην ἀναφανῆναι, ἣν ἀπὸ τοῦ κέρατος τοῦ βοὸς Βουκεραΐδα καλεῖσθαι. Οὕτω Θέων ἐν τοῖς ὑπομνήμασι τοῦ ά Αἰτίου Καλλιμάχου.* De historia Schmidtius conferendum iubet Friedrichii rer. Plataic. specim. pg. 11 (Berol. 1841). Temere vero Schmidtius ea quoque, quae in Et. M. antecedunt: *Βουκέρας· ἡ τῆλις, τὸ σπερμάτιον,* ad quaestionem de Theonis fragmentis attrahit fusiusque de illis disserit; sed nullum agnosco indicium, illa e Theonis hausta esse in Callimachum commentario.

Et. M. pg. 160. s. v. *Ἄστυρον· Τὸ ἄστυ, Καλλίμαχος· „Ἡ μὲν ἀεργάζουσα μέγα τρύφος ὑψιζώνου ἀστυρὸν εἰσανέβαινεν.“ Εἴρηται παρὰ τὸ ἄστυ ὑποκοριστικῶς ἀστυρόν. Οὕτω Θέων ἐν ὑπομνήματι τοῦ β τῶν Αἰτίων.* Cfr. Callimachi fragm. 19.

Quae in Et. M. pg. 144 de voce *ἀρμῷ* dicuntur, quamquam duo Callimachi versus in illa expositione citantur, supra Theocriteo hypomnemati vindicavi ob insignem convenientiam, quae intercedit inter Et. M. et Theocriti scholia. Praeter Theonem tanquam Callimachi *Αἰτίων* interpres Epaphroditus commemoratur apud Steph. Byz. s. v. *Δωδώνη*, quare diiudicari nequit, utri, quae Callimachi *Αἰτίων* fragmentorum interpretationes apud veteres scholiastas atque lexicographos servantur, tribuendae sint. Stephan. Byz. tredecim locis versus

affert Callimachi *Αἰτίων*, quorum explicationes illum hausisse suspicor ex hypomnemate Epaphroditi, cuius auctoritate s. v. *Δωδώνη* usus est. Praeterea Callimachi *Αἴτια* in examen vocantur ab Et. Gud. s. v. *Ταφών* et ab Orion. Etym. s. v. *ὄστλιγγες*, *ἰάλεμος* alias.[50]

Lycophronis quoque Cassandram, carmen arte magis quam ingenio compositum, Theonem explicasse,

Stephanus Byz. testis est, qui duobus hisce locis ipsa Theonis affert verba: pg. 23 (= 50 M.) s. v. *Αἴνεια*..... *Θέων δ' Αἰνειάδας ταύτην καλεῖ ὑπομνηματίζων τὸν Λυκόφρονα* (v. 1263). *Αἰνειὰς δὲ μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν εἰς Θρᾴκην παρεγένετο καὶ ἔκτισε πόλιν Αἰνειάδας ὅπου τὸν πατέρα ἔθαψεν*. Cfr. Photii bibl. pg. 140 b (ed. Bekk.).

Steph. B. pg. 176 b (= 399 M.) s. v. *Κύτινα· πόλις Θεσσαλίας, ὡς Θέων ἐν ὑπομνήματι Λυκόφρονος* (1389). *ὁ πολίτης Κυτιναῖος. ἔστι καὶ Κυτίνιον μία τῶν τριῶν τῶν Δωρικῶν. τὸ ἐθνικὸν Κυτινιώτης*. Pro *τριῶν* legendum est *τεττάρων*, nam Cytinion urbs est ex tetrapoli dorica ad Parnassum. Cfr. Wesseling, ad Diod. Sic. II. pg. 465. Thucyd. I. 107. Strabo IX. 147.

Tertio quoque loco pg. 115 Steph. B. Theonis in Cassandram commentarium respicere videtur; locus enim iste ad Lycophronis Cass. v. 1017 spectat, ibique Theon commemoratur auctor s. v. *Ἀργυρῖνοι· ἔθνος Ἠπειρωτικόν, ὡς Τίμαιος καὶ Θέων, καὶ Λυκόφρων „εἰς Ἀργυρίνους καὶ Κεραυνίων νάπας“*.

Praeterea quinque (vel septem) inveni locos, quibus hypomnema Lycophronis commemoratur: Et. M. et Orion. Et. s. v. *Βάτεια*, *Εἰλενία*, (in Et. M. auctoritas Ori adiecta est) Et. M. s. v. *Ἄμαντε*, *Ἄτλας*, *Ἤπιος*, quas notationes coniectura haud improbabili ad Orum auctorem referendas putat Ritschelius, de Oro et Orione pg. 75., quod non dubito ei

---

[50]) Cfr. de Theone et Epaphrodito Callimachi interpretibus Valckenaer, Callim. elegiar. fragm. pg. 9 (ed. Luzac. Lugd. B. 1799).

concedère; minime vero illi assentiri possum suspicanti, Dectionem, qui in Et. M. s. v. Ἤπιος Lycophronis interpres nominatur, reliquorum quoque scholiorum auctorem esse habendum. Antecessit iam hac in suspicione Fabricius, bibl. gr. II. pg. 418 X. pg. 31, atque cum Fabricio Ritschelioque Graefenhanius facit II. pg. 50. De Dectione vero nulla alia traditur notitia, quare Valckenaerius, Diatrib. in Eurip. rel. pg. 291 et Larcherus in „Remarques critiques sur l'Étym. M. (ex commentariis Academ. Inscript. Paris. t. XLVII. repetitae a Sturzio in appendice Et. Or. pg. 223) recte iudicasse mihi videntur, corruptelam illo loco Et. M. v. Ἤπιος valere et pro Ἠπιόνην, ἐξ ἧς αὐτῷ γενέσθαι Ἰάσονα, Πανάκειαν Δεκτίων ἐν ὑπομνήματι Λυκόφρονος legendum esse:.... ἐξ ἧς αὐτῷ γενέσθαι Ἰασώ, Πανάκειαν, Ἀκεσώ· ἐν ὑπ. Λυκ. [51])

Quum igitur de Dectione tanquam Lycophronis interprete valde dubitari possit, Theonem arbitror auctorem esse habendum scholiorum, quae apud Et. Or. et Et. M. supersunt; multaque Orum ex Theonis in Lycophronem hypomnemate in suum Etymologicum transtulisse non vereor Valckenaerio concedere. Quae vero in Or. Et. Theoni vindicanda sint, singula non licet inquirere. Apud Stephanum Byz. autem omnibus illis locis, quibus Lycophronis aliquid affertur, vestigia te agnoscere Theonis commentarii fortasse recte conieceris, quum Stephanum Byz. illum compertum habuisse loci supra laudati doceant; multi autem sunt loci, quibus

---

[51]) Larcheri haec sunt verba: „Sylburge, qui avait entrevu, qu'il fallait lire Ἰασώ, ne s'est pas douté, que le texte fût ici altéré; et dans son index il fait de Dection un commentateur de Lycophron. Fabricius met aussi Dection au nombre des commentateurs de ce poëte II. p. 418. X. p 31 bibl. gr. Ces savants se sont trompés. Il n'y a jamais eu de grammairien de ce nom. Le grand Etymol., qui cite cent fois le commentaire sur Lycophron, n'en nomme nulle part l'auteur. Il est hors de doute que c'est ici le nom de l'une des filles d'Aesculape et d'Epione, et qu'il faut substituer à ce nom Αἴγλην ou Ἀκεσώ. Valckenaer diatrib. se détermine pour Ἀκεσώ. Le passage entier doit donc être lu: ἐξ ἧς . . . . .“

Lycophronis exhibetur auctoritas, quos velim videas in Steph. B. indicibus. Tzetzae in componenda Lycophronis interpretatione utrum innotuerint Theonis commentarii, necne, huius rei indicia reperire potui nulla. L. Bachmannus, Lycophr. Alex. praef. p. XXII. uno Codice Vaticano 1307 saeculi decimi vetusta dicit incerti auctoris contineri scholia, quae Theonis esse forsan conieceris; sed quum illa ignota mihi sint, certum hac de re non ausim statuere.

Hae sunt reliquiae diversorum hypomnematum, quae manifesta Theoni grammatico a scholiastis et lexicographis tribuuntur. Quamquam vero non multis locis Theonem cognovimus expressis verbis laudatum esse tanquam commentariorum auctorem, tamen longe plura, quam quae nominatim eius afferuntur, scholiastas et lexicographos ex illius in diversos poëtas Alexandrinos commentariis silentio desumsisse persuasum habeo. Quod haud ita a veritate recedere, quum ex indiciis puto elucere, quae suo quaeque loco attuli, tum ex illis potissimum, quae de Theone in Hesychii ad Eulogium epistola lexico praemissa traduntur, de quibus restat disputandum.

Multi iam multa de illa epistola scripsere, quam utpote non ab Hesychio profectam, sed ab ultimi aevi Graeculo omnino contemnendo scriptam, fide non esse dignam demonstrare studuit Valckenaerius in Opusc. II. pg. 157 sqq., cui contradixit Ruhnkenius. (Cfr. Schmidtii Hes. praef. pg. XV.) Adeo vero Valckenaerius veram esse ac certam suam sententiam persuasum habet, ut iterum eandem tanquam exploratam ac certam protulerit in Adoniazus. pg. 295—299. Plura si quis de diversis disceptationibus scire velit, quae latae sunt inter doctos de Hesychii lexico epistolaque illi praefixa, Rankeii de Hesychiani lexici vera origine et genuina forma adeat commentationem anno 1831 editam. Recentiore vero tempore eandem quaestionem instituerunt Welckerus in mus. Rhen. 1834. pg. 269—302, 411—440 (etiam in Script. min. II. 542—596), ubi Rankeii librum re-

censet, veteribus erroribus iudicans novos eosdem haud minus rigidos illum admiscuisse; ipse de pluribus rebus eisque gravissimis contrarias fert sententias. Utriusque rationem habet M. Schmidtius in quaestion. Hesych. quartae editionis Hesychii lexici parti subiunctis, magisque cum Welckero facit quam cum Rankeio. Schmidtio autem in universum Weberus assentitur in commentatione de Hesychii ad Eulogium epistola (Programma Gymnas. Weimar. 1865), in nonnullis quidem rebus a Schmidtii sententia recedens, quam Schmidtius defendit Weberi commentationem recensens in Fleckeiseni et Masii Neue Jahrbücher. Lips. 1865. pg. 749—764. Longum est et a mea re alienum, accurate inquirere, cuius sententia de Hesychii lexico propensior sit ad veritatem; tangenda tamen haec quaestio est, quatenus occupata sit in disquirendis illis, quae de Theone quum ab ipso Hesychio in epistola tum ab interpretibus lexici epistolaeque prolata sunt. Omnibus perpensis Hesychii ad Eulogium epistolae fides omnino non deneganda est, quare quamquam nusquam de Theonis lexesin sermo est, non est causa, cur dubitemus, quin suo iure Hesychius in epistola Theoni collectionem *λέξεων* tribuerit. Legitur enim ibi: *οἱ δὲ (συντεθείκασι λέξεις κατὰ στοιχεῖον) τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικάς, ὡς Θέων καὶ Δίδυμος καὶ ἕτεροι τοιοῦτοι.* His verbis aperte quidem perspici non potest, utrum Theon utrasque lexeis et tragicas et comicas, an solas collegerit comicas aut tragicas. Didymum collegisse utrasque easque Hesychii farragine contineri, testimoniis certis demonstrari potest, quae in examen vocata sunt a Schmidtio, Didym. fragm. pg. 27 sqq.

Itaque etiam Theonem duplex edidisse lexicon tragicum et comicum, Ruhnkenius pg. XXII conclusit, quem secutus est Welckerus in mus. Rhen. 1834. pg. 287. Mihi vero valde dubitandum videtur de Theonis lexico tragico; locus enim, quo confisus etiam tragicum lexicon condidisse Theonem Ruhnkenius iudicavit, adeo perturbatus est, ut vix unquam sanari eum posse putem.

Legitur enim apud Hesych. s. v. *Ἀγνῶτες· θεῷ οὕτω λέγεσθαί φασι τοὺς μετὰ τὸν τῆς Ἰλίου πλοῦν Φαλεροῖ προσχόντας καὶ ἀναιρεθέντας ὑπὸ Δημοφῶντος ταφῆναι.* Quem locum ut sanarent, diversissimam viri docti adhibuerunt medicinam, de qua inspicias Hesychii lexici interpretes. Meursius, de Reg. Athen. III. 6. pg. 194 sic emendat: *Ἀγνῶτες. Θέων οὕτω λεγεσθαί φασι*.... et hanc emendationem ad sententiam suam fulciendam Ruhnkenius sibi arripiens hunc locum ex Theonis lexico tragico sumtum esse arbitratur. Ne ultra de aliis disseram rationibus, quas inierunt interpretes ad explicandum illum locum, unumquemque puto statim intellecturum, temere esse actum a Ruhnkenio, quod locum magnopere perturbatum vixque sanabilem fundamentum posuerit, in quo sententiam aliunde non comprobandam exstrueret; neque satis mirari possum, et ipsum Welckerum, philologum tanto ingenio doctrinaque haud mediocri instructum ita Ruhnkenii demonstratione deceptum esse, ut eam haud improbabilem esse iudicaverit. Negari quidem non potest, Hesychii in epistola, verba sola si consideraveris, aliquam verisimilitudinem accepturam esse suspicionem, utrasque lexeis si alter (Didymus) condiderit, utrasque alteri quoque vindicari posse. Quam tamen suspicionem ad veritatem accedere propter indiciorum defectum demonstrari non potest. Quapropter hac re dubia relicta ad ea transeo indaganda, quae de Theonis lexico comico statui possint.

Duo supersunt fragmenta Theonis lexici comici ipso auctoris nomine addito, alterum in

Hesychii lexico s. v. *Σκίταλοι· ἀπὸ τῶν ἀφροδισίων καὶ τῆς προυνικίας τῆς νυκτερινῆς θεούς τινας ἐσχημάτισεν. Θέων δέ φησι πεπλᾶσθαι τοὔνομα.* Haec ad Aristophanis Equit. v. 634 spectant, ad quem locum scholion conferendum est, cuius media in parte ipsam Theonis explicationem agnoscere mihi videor; invenies enim in illo scholio: *Σκίταλοι μὲν οὖν οἱ εὐτελεῖς καὶ πονηροί, ἦν γὰρ Σκίτων κναφεύς τις καὶ εὐτελὴς ἐπὶ πονηρίᾳ κωμῳδούμενος.... πέπλασται δὲ ἡ λέξις.*

Unde conicere licet, in scholiis ad Aristophanem nonnullas inesse vocum comicarum interpretationes ex Theonis lexico comico desumptas, quamquam nusquam illius auctoritas adiecta est.

Alterum lexici comici fragmentum ipso Theonis nomine apposito exstat apud Phrynichum pg. 377 ed. Lob.: *Σαπρὰν οἱ πολλοὶ ἀντὶ τοῦ αἰσχράν. Θέων φησὶν ὁ γραμματικὸς εὑρηκέναι παρὰ Φερεκράτει ληρῶν. ἅπαντα γὰρ, ἃ φέρει μαρτύρια, ἐπὶ τοῦ παλαιοῦ καὶ σεσηπότος εὕρηται κείμενα.* Eadem, sed in breviorem formam contracta Hesychius exhibet s. v. *σαπράν· παλαιόν, αἰσχρόν, ἀκάρθατον.* Cfr. Photius s. v., Zonaras, Athenaeus III. 119 e. I. 31.

Hae sunt lexici comici Theonis reliquiae, quae Theonis nomine subscriptae sunt, pauciores quidem, quam ut sufficiant ad certam de illo opere sententiam ferendam, sed satis Hesychii sententiam comprobantes, condidisse Theonem lexicon comicum. Ceterum nonnulla veterum testimonia servata sunt de diversis lexeon collectionibus, quorum habita ratione de Theonis quoque lexico comico aliquid certi licet statuere.

Ipse enim Hesychius in epistola pro fundamento sibi fuisse profitetur in condendo suo lexico Diogeniani vocum homericarum, tragicarum, comicarum, lyricarum earumque, quae apud scriptores pedestris sermonis occurrant, collectionem, Diogenianum autem ipsum usum esse Apionis et Apollonii lexesin homericis, Theonis Didymique comicis et tragicis. Quo efficitur, ut Hesychii lexico contineantur necesse sit Theonis vocum comicarum interpretationes. Sed quum Hesychius se apposuisse profiteatur auctorum nomina a Diogeniano suppressa, mirum videri potest, in Hesychii lexico, quale nunc habemus, rarius auctorum nomina inveniri; Theonis quidem nomen semel tantum commemorari vidimus, Didymi autem auctoritas saepius (terdecies) affertur. Iam Aldus Manutius in codice plurium dictionum et quae rariores sunt auctoritates desideravit, et Scaligerus (Scaligerana

lexica singula excerpentis et colligentis operibus in oblivionem inciderunt, neque ex grandiore Pamphili collectione, quae et ipsa paullatim neglecta videtur, sed ex Vestini compendio. Recte enim Naberus coniecisse videtur, Diogenianum illud Vestini compendium excerpsisse, etiamsi Rankeius hoc ipsum negat, Suidae de Vestino notitia confisus, Vestini epitomen Pamphili lexici libros quatuor continuisse, Diogeniani vero quinque. Naberus vero haud improbabiliter apud Suidam pro δ' legendum esse λ' coniecit, quo efficitur, ut Vestinum Suidas testetur Pamphili lexicon ad libros 30 redegisse. Mirum quidem videri potest, si Hesychius illud Diogeniani ex Pamphili aut Vestini glossariis contractum compendium in suam receperit farraginem, Athenaeum, quamquam multis locis Pamphili glossarii mentionem fecerit eiusque auctoritate complures lexicographos attulerit, nusquam Theonis nomen exhibere, sed nequaquam impedit, quominus Pamphilum in glossarium suum voces quoque comicas Theonis recepisse coniciamus. Magna enim pars glossarum, quae Pamphili ab Athenaeo servatae sunt, ad comoediam spectant, multaeque earum etiam apud ipsum Hesychium leguntur cum iisdem poetarum locorumque notis, unde Welckerus pg. 431. Hesychium ex epitome Pamphili lexici, qua et ipsa in Diogeniani magno lexico rescribendo usus esset, auctorum nomina traiecisse colligit, sed ipse addit, facile fieri potuisse, ut auctorum locorumque nomina omnia ne ullo quidem excepto ex ipsis comicis glossariis Theonis Didymique haurirentur. Ex iis, quae paulo fusius de Diogeniano disputavi, colligendum puto haud improbabiliter, Theonis lexicon comicum per Pamphili, Vestini, Diogeniani glossaria in Hesychii transiisse lexicon.

Didymi Theonisque lexica Hesychio teste *κατὰ στοιχεῖον* i. e. secundum literarum ordinem scripta erant; sed hac cum notitia convenire non videtur, quod Harpocration s. v. *ξηραλοιφεῖν* librum vicesimum octavum Didymi lexici tragici commemorat, et quae ibi leguntur in Hesychii quoque lexico

insunt breviorem in formam redacta. Quae observatio Weberum, de Hes. epist., conicientem facit, et tragici et comici Didymei lexici duas exstitisse editiones, quarum alteram libris divisam aut poëtarum singulorum vocabula separatim tractata comprehendisse putat, aut pro varietate orationis et tragicae et comicae suo quaeque generi omnium poetarum vocabula communiter subiuncta, alteram ad literas institutam esse, eamque ob causam inscriptioni huius lexici additum esse „σύμμικτος.“ Leguntur enim in Schol. Apollon. Rh. IV. 973 haec verba: *ὀρείχαλκος.... οὕτως ἦν ἐν τῇ κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ*, quae retulerunt omnes ad Didymi opus.[53]) Hanc *λέξιν κωμικὴν σύμμικτον* a Diogeniano adhibitam esse probabile est propter convenientiam, quae intercedit inter Hesychium et schol. Apoll. Rhod. Cuinam vero grammatico haec lexis vindicanda sit, utrum Didymo an Theoni, an alii cuidam, certis causis erui non potest. Nam praeter Didymum Theonemque alios quoque *λέξεις κωμικάς* collegisse, ipse in epistola Hesychius profitetur; et profecto certa exstant testimonia de aliis voces comicas colligentibus. Nam Epithersen grammaticum, qui Nerone regnante floruisse videtur, de vocibus atticis quum comicis tum tragicis scripsisse testis est Stephanus Byz. s. v. *Νίκαια.*[54]) Praeterea Palamedem Athenaeo aequalem *κωμικὴν καὶ τραγικὴν λέξιν* edidisse et Suidas narrat et Etym. Magn. pg. 145 (*Παλαμήδης ἱστορικὸς ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών*); eiusdem Palamedis auctoritas quater exhibetur in Scholiis Aristoph. Pac. 882, Vesp. 710. 1108. 1122, et ter in schol. Apoll. Rhod. I. 704. III. 106. IV. 1563.[55]) Artemidorum quoque, Theonis fortasse

[53]) Cfr Nauck. Aristoph. Byz. pg. 22. Meineke, Hist. crit. pg. 14. Schmidt, Did. fragm. pg. 71.

[54]) Cfr. Meieri Opusc. II. pg. 56. Graefenhan. III. 178.

[55]) Cfr. Boeckh. praef. in schol. Pind. pg. XIX. Eckstein. in Encyclop. Hal. III. 9. pg. 424. Meier. opusc. II. pg. 57.

patrem, lexicon scripsisse comicum supra iam monui verisimile esse. Quatuor ergo grammatici sunt, qui expressis verbis *λέξεις κωμικάς* et *τραγικάς* collegisse dicuntur, quare vix puto diiudicari posse, de quo cogitandum sit illis locis, quibus lexici comici auctoritas affertur: Schol. Aristoph. Plut. 313 *Μίνθον... ὡς κεῖται ἐν τῇ κωμικῇ λέξει.* Pac. 959: *δάλιον.... οὕτω ὁ τὴν κωμικὴν γράψας λέξιν.* Aves 122: *σισύραν.... οὕτως ἐν τῷ λεξικῷ.* Schol. Apoll. Rh. IV. 1614: *Ἀλκαίη. κήτεος... ἐν τῷ κωμικῷ λεξικῷ,* IV. 973 *ὀρείχαλκος... οὕτως ἦν ἐν τῇ κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ.* Quibus locis omnibus Palamedis significari lexicon comicum Hemsterhusius arbitratur (Aristoph. Plut. pg. 98) Didymi Schneiderus (de Aristoph. scholl. fontibus pg. 95), quem omnes recentiores secuti sunt. Hemsterhusio assentiri possis, si Et. M. pg. 145 respexeris, ubi Palamedes „*ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών*" nominatur, Schneidero, si idem Et. M. pg. 492 v. *καρύκη* in examen vocaveris, ubi quae Didymus *ἐν τῇ κωμικῇ λέξει* dixerit, afferuntur. Idem de Didymo exhibetur in Et. msc. bibl. reg. apud Ruhnken. in praef. ad Hesych. pg. IX, cod. Paris. 2630 apud Bekkerum, anecdd. gr. III. pg. 138 et Et. Gud. pg. 381, ubi pro *ἐν τῇ κωμικῇ λέξει* leguntur *ἐν τῷ κωμικῷ* (h. e. *λεξικῷ*).[56]) Sed quum plures voces comicas collegisse tradantur, quorum vestigia quum in etymologicis tum scholiis agnoscuntur, recte Meierus, opusc. II. pg. 58 iudicasse mihi videtur, ne illud quidem constare, idemne liber omnibus illis locis significetur, nedum sitne Palamedis, an Didymi, an alius cuius fortasse interciderit memoria. Eodem enim iure, quo usi sunt Schneiderus et Hemsterhusius intelligendum esse laudatis locis arbitrati aut Palamedis aut Didymi lexicon comicum, conicere licet de Theonis lexico comico sermonem esse illis locis, quoniam Theonis lexicon comicum et Diogenianum adhibuisse et Aristophanis scholiastam

---

[56]) Cfr. Schmidt. Did. fr. pg. 28.

supra vidimus; quare hac re dubia missa redeamus ad Weberi coniecturam de duplice Didymi lexicorum comicorum et tragicorum editione, quam omnino non possum comprobare. Nam quamquam Harpocration l. l. Didymi lexicon tragicum libris divisum esse, Hesychius vero ad litteras ordinatum esse tradit, minime impedimur, quominus de uno eodemque libro sermonem esse putemus, praesertim quum quae Harpocration de voce *ξηραλοιφεῖν* dicit, in Hesychii quoque lexico inveniantur. Nam operibus grammaticis, potissimum vero lexicis etiamsi litterarum ordo prorsus sufficeret, librisque divisa essent non opus neque utile esset, tamen etiam singulis libris illa divisa esse non est causa, cur non accipiamus, quoniam eiusmodi divisio ita fortasse explicari potest, ut, quo vocabulo alia charta incepisset, alium quoque librum incepisse sumamus, quod eo maiorem verisimilitudinem accipit, quo maior est numerus librorum, qui a Didymo, Callimacho aliis scripti esse traduntur. Quapropter non vereor assentiri Ritschelio, qui in Alex. bibl. pg. 134 de stichometria agens hac de re sic disserit: „Der Wahlspruch des Callimachus: *μέγα βίβλιον μέγα κακόν*, nach dem wir seine Fruchtbarkeit von mehr als 800 Büchern zu beurtheilen haben, scheint fast eine Norm für die spätern Grammatiker geworden zu sein, daß sie auch grammatische Werke, für die gar keine Abtheilung in Bücher erforderlich und irgend nützlich war, namentlich Lexika, die an der alphabetischen Ordnung vollkommen genug hatten, dennoch in Bücher zerschnitten. Wir erinnern an Steph. Byz. oder an die 95 Bücher des Zopyrion und Pamphilus nebst Diogenianus und Iulius Vestinus.“ Nimium Weberus schol. Apoll. Rh. IV. 973 urgere mihi videtur, ubi lexicon comicum *σύμμικτον* commemoratur, quo solo loco confisus verbum *σύμμικτον* ita explicandum dicit, ut omnia vocabula in lexico comico *συμμίκτῳ* sine ulla generum distinctione permixte ad litterarum seriem collocata esse sumamus, ut magis accommodatum esset lexicon discentium usui, lexicon vero comicum in libros divisum inserviisse elegantiori doctrinae. Quae tamen coniectura si ad verita-

tem accederet, mirum sane videretur, nusquam de lexico comico in libros diviso sermonem esse, nusquam de lexico tragico *συμμίκτῳ;* id quod ipse intellexit Weberus, quapropter nulla alia nisus causa, quam aequabilitatis, concludendum esse dicit, etiam lexicon comicum libris divisum exstitisse atque tragicam *λέξιν σύμμικτον.* Etiam longius a veritate abhorret, quod Weberus idem, quod in Pamphili lexico Diogenianus postea fecisset, ut illius lexicon commodiori ordini adstringeret, Didymum ipsum dicit suscepisse, quum talis lexicorum ordo eo tempore maximopere discentibus placuisse videretur. Nam haud facile credendum est, ipsos grammaticos suorum ipsorum operum epitomes sive farragines confecisse, quo accedit, quod Didymus commentarios quoque composuit in singulos poëtas comicos et tragicos, eamque ob causam multa in illis iam disputata sine dubio et ipsis in lexicis repetere coactus erat; fluxisse enim lexica comicum et tragicum ex istis commentariis, acutis firmisque argumentis Schmidtius, Did. fr. pg. 93 sqq., evicit. Hoc vero Theonis opera factum esse Naberus coniecit in prolegom. ad Photii lexic. pg. 9, cuius haec sunt verba: „non ipsius Didymi opera hoc factum est, sed Theonis, qui quum aut nihil aut parum de suo addidisset, multa resecuisset, opus non suo nomine edidit, sed Didymi, sive ut mendaci titulo commendationem quaereret, sive veterem morem secutus, quem Diogenianus quoque secutus est, cum inscriberet opus epitomen Vestini. Fuerit igitur titulus: *Θέωνος λέξις κωμικὴ κατὰ Δίδυμον,* quae *σύμμικτος* nonnumquam dicitur.“ Quae coniectura ingeniosa magis dici, quam causis probari potest. Concedo quidem, Hesychii verba: *Θέων καὶ Δίδυμος (συντεθείκασι) λέξεις κωμ. καὶ τραγ.* fortasse ita intelligi posse, ut Theonem in unum congessisse sumamus varios commentarios, quos in comicos poëtas scripserit Didymus, quod simili ratione interpretationum auctores interdum afferuntur, ex. gr. in schol. Apoll. Rh. I. 1138: *ὡς Εὔπολις καὶ Δίδυμος* i. e. Eupolis apud Didymum, quamquam tunc expectandum erat

inverso ordine *Δίδυμος καὶ Θέων* i. e. Didymus apud Theonem; sed etiam inversi ordinis exempla Naberus haec affert: Schol. Aristoph. Av. 58: *Σύμμαχος καὶ Δίδυμος*. Lysistr. 313: *Δίδ. καὶ Κράτερας*. Et. Gud. pg. 73: *Δ. κ. Τρύφων*. Et. M. pg. 184: *Ἡρωδιανὸς καὶ Δίδ.* Steph. B. modo *Διόδωρος καὶ Δίδ.* (pg. 635 M.) modo *Δίδ. καὶ Διόδ.* (pg. 635, 695 M.). Quae exempla haud ita mihi urgenda videntur, quoniam alia in iis ratio valet, atque in Hesychii epistola; in illis enim interpretationes exhibentur, quae pares a pluribus profectae atque ab etymologis vel scholiastis ex alterius operibus haustae sunt, in quibus componendis priorum grammaticorum aut glossaria aut commentarii adhibita sunt. Hesychium vero in epistola non puto professum esse, Theonem et Didymum composuisse *λέξεις* comicas et tragicas, si alter solus, alterius commentariis usus, illas condidisset. Neque minus a vero abhorrere arbitror, Hesychium quamquam non ignarum, Theonem ex Didymi commentariis collegisse voces comicas et tragicas eamque ob causam solum habendum esse lexicorum illorum conditorem, Didymum saepius attulisse auctorem quam Theonem. Immo verisimile est, eum semper aut solum Didymum aut solum Theonem aut utrumque citavisse tanquam auctorem. Accedit, quod nusquam Theonis tanquam lexici tragici conditoris agnoscuntur vestigia, optimo tamen iure exspectari potest, illum, si quas vocum comicarum interpretationes Didymus scripserit in commentariis in poëtas comicos, secundum litterarum ordinem congessisset, idem suscepisse in commentariis a Didymo in poëtas tragicos scriptis. Ad *σύμμικτον* autem lexicon comicum quod attinet, diversissimam viri docti inierunt viam ad eruendum vocis *σύμμικτος* sensum. Weberus *σύμμικτον* nominari dicit lexicon comicum, quod litterarum seriem tenuisset neque vocabulorum divisionem praebuisset artificiosam et ex interioribus reconditisque rerum argumentis petitam. Prorsus in contrariam sententiam Fabricius inciderat, qui in indice script. schol. Apoll. Rh. a Schaefero II. pg. 641 repetito *σύμμικτον*

vertit: „secundum ordinem alphabeticum non dispositum.“ Neutri te assentiri puto, neque minus longe repetitam esse coniecturam Schmidtii, Did. fr. pg. 71, in schol. Apoll. Rh. IV. 973 pro οὕτως ἦν ἐν τῇ κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ legendum esse suspicantis ἐν κωμικῇ λέξει τῇ τ' ἡ συμμίκτων, ut Didymus duobus in libris de eadem re disseruisset, in lexico comico et in libro σύμμικτα (vel συμποσιακά) inscripto, quem Alexion in breviorem redegit formam teste Ammonio s. v. γέρων. Sed ex eo, quod quae ex lexico illo συμμίκτῳ in schol. Apoll. afferuntur, eadem fere ad verbum in Hesychii lexico insunt, minime colligendum est, Didymum illius lexici fuisse auctorem, quoniam Theonem quoque aliosque nominibus non memoratis lexica comica et tragica condidisse Hesychius tradit. Negari quidem non potest, illa Schmidtii coniectura multas tolli difficultates, quae doctos vexant de lexicorum comicorum origine atque conditione quaerentes, neque egomet ipse Schmidtio concedere illud longius vererer, si illo loco de Didymi lexico comico cogitandum esse constaret. Et ipse Schmidtius coniecturam suam non ita urget, quum alias quoque coniecturas eadem de re proposuerit. Fortasse enim dicit tibi arrisuram vocabula κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ explicandi hanc rationem, „ut si qua re vera exstitit λέξις κωμικὴ σύμμικτος a κωμικῇ λέξει diversa, illam ea tantum complexa esse vocabula dicamus, quae comicis familiaria ne tragici quidem poëtae prorsus respuerint.“ Cui opinioni ingeniosae obstat, quod Hesychius Didymum et Theonem ἰδίᾳ condidisse dicit lexicon tragicum et comicum.

Egomet ipse aliam explicandae vocis σύμμικτος malim inire viam, quae Schmidtio quoque non ignota erat[57]) fortasse factum esse suspicanti, ut quemadmodum Apion et Heliodorus, Apion et Diodorus alii labores consociaverunt, ita Didymus quoque Theonem laboris socium sibi adiunxerit,

---

[57]) Cfr. Ztschrft. f. Alterth. 1853 p. 526. (coll. Schmidtii, Did. fr. p. 6).

subinde vero aevo posteriore brevitatis studioso a potiore et notiore auctore facta sit denominatio. In eo vero a Schmidtii sententia recedo, quod Theonem et in condendo lexico tragico Didymi fuisse consortem nego, quum de Theonis lexico tragico magna valeat dubitatio. Qua ratione Didymus in condendo lexico comico Theonem laboris socium adhibuerit, indicium quoddam te agnoscere puto in ipsa Hesychii epistola, ubi Apion et Apollonius lexeis scripsisse traduntur homericas. De Apione et Apollonio comparanda sunt, quae erudite atque acute Villoisonus disseruit in Prolegomenis ad Apollonii lexicon pg. VI. sqq., ubi Apollonium Apionem quamquam recentissimum et discipulum suum laudare potuisse immo et debuisse demonstratur, eumque praestantissimum Apionis opus sibi proprium fecisse meliora excerpendo sequiora reiciendo ac dubia accurate perpendendo, magistrique usum licentia discipuli sui lexicon in suum succum ac sanguinem convertisse, id quod eo probabile fit, quod Apionis nihil hodie fere superest, nisi quod ab Apollonio servatum est. Idem accidisse haud male conieceris Theonis lexico comico; quod quum Didymus suo lexico inseruerit, facile fieri potuit, ut Didymus lexico comico unitis viribus condito nomen dederit *συμμίκτῳ*. Negare quidem nolo, lexicon comicum *σύμμικτον* proficisci potuisse ab alio recentiore fortasse grammatico, qui priora lexica comica in unum congesserit eamque ob causam hanc collectionem *σύμμικτον* nominaverit. Utut res se habet, id unum constat, Theonem quendam scripsisse lexicon comicum. Hunc autem Theonem non diversum esse ab illo, quem interpretatum esse diversos poetas supra vidimus, ex illis satis patere arbitramur, quae de Hesychii, Diogeniani, Vestini, Pamphili lexicis disputavimus, unde concludatur necesse est, Theonem lexici comici conditorem Pamphilo c. Chr. n. vitam degente aut antiquiorem aut certe illi fuisse aequalem, quod bene aetati respondet Theonis, quem Apion secutus est. Nam ex eo, quod in Hesychii epistola Theonis nomen prius ponitur quam Di-

dymi, minime eruendum est, Didymum recentiorem fuisse Theone, quoniam paulo ante eadem in epistola, etiam Apion, quem Apollonii discipulum fuisse constat, ante Apollonium magistrum nominatur.

Alii aliam de aetate Theonis lexici comici auctore sententiam tulerunt, omnes autem in eo consentiunt, quod eundem Theonem, qui diversos poetas interpretatus esse tradatur, et ipsas voces comicas collegisse dicunt.

Itaque ex iis quae de Theone disputavimus satis apparere puto, temere lexicon comicum aliaque opera grammatica Theoni a nonnullis tribui ab Apionis antecessore distinguendo, recte vero plerosque magis minusve confidenter hunc illorum operum habuisse auctorem. Fritzschius, de poet. bucol. pg. 32 omnibus locis, quibus Theon quidam interpres poetarum lexicique comici auctor nominetur, cogitandum esse dicit de Theone antiquiore, nullo alio nisus argumento, quam quod in Et. M. pg. 144 Theon *ὁ τοῦ Ἀρτεμιδώρου* audit, quem fuisse arbitratur Aristophanis Byzantii discipulum, qua de re supra iam disseruimus. Neque minus temere omnibus perpensis Baehrium in Paulyi Enc. ph. s. v. Theon dubitasse intelliges, utrum opera grammatica, quae Theonis afferuntur, ad Theonem mathematicum, Hypatiae patrem, referret, an ad Aelium Theonem progymnasmaticum. Quod Ahrensius, buc. gr. II. pg. XXX. Baehrium aut de Theone mathematico aut de Apionis antecessore cogitasse dicit, memoriae lapsu factum esse videtur. Neque minus memoriae lapsui tribuendum est, quod Meinekius, Quaestion. scenic. spec. III. pg. 5 Aelium Theonem tanquam lexici comici auctorem nominat, sed de Theone cogitat Apionis antecessore.

Postquam igitur operum grammaticorum, quae Theonis nomine subscripta in lexicis et scholiis perhibentur, fragmenta congessimus quantumque fieri potuit, illustravimus atque probabile esse demonstravimus, omnia illa eiusdem grammatici esse, paucis de Theonis indole ac doctrina iudicium ferre licet. Etiamsi pauciora sunt Theonis fragmenta, quam ut

sufficiant ad accuratam de doctrina eius ferendam sententiam, id certe constat, varia atque haud exigua Theonem instructum fuisse doctrina eamque ex eo potissimum elucere, quod Theon imprimis intentus fuit ad poetas Alexandrinos Lycophronem et Callimachum interpretandos, quos poemata sua rebus obscurissimis valdeque reconditis ornare atque replere studuisse constat. Unde optimo iure conicere licet, Theonem haud mediocriter compertas habuisse res mythicas, historicas, geographicas etiam maxime obscuras atque reconditas, quae opinio eo maiorem accipit probabilitatem, quod plura, quibus tempus non invidit, eius fragmenta ad illas disciplinas spectant. Nec non in rebus proprie grammaticis illum occupatum esse, lexicon eius comicum docet atque fragmenta, in quibus verborum significationes, origines, ratio scribendi ac pronunciandi illustrantur. Theonem vero non solum eos collegisse, quos priores grammatici scripserint commentarios diversorum poetarum, sed etiam de suo multa adiecisse, ex iis fortasse concludere possis, quae in Et. M. pg. 49 de accentu vocis *ἄκμηνος* dicuntur, ubi Theon cum Aristarcho exsistit non consentiens. Accedit, quod primus ille interpretatus esse videtur Nicandrum. [58])

De dicendi genere, quali Theon usus sit in commentariis, sententiam ferre non ausim propterea quod incertum est, utrum lexicographi scholiastaeque, qui commentariis eius utebantur, ipsa Theonis verba operibus suis inseruerint, an illa ad suum ipsorum sermonem accommodaverint. Si quis ipsa Theonis verba in scholiis agnosci posuerit, tamen impedietur, quominus aliquid certi statuat de eius genere dicendi ob scripturam saepius in scholiis ita perturbatam, ut vix quid dicatur intelligere possis. Quare hanc rem missam facimus.

Tandem ut huic commentationi finem imponamus, neminem spero non intellexisse ex mea disputatione, Theonem

---

[58]) Cfr. Bussemaker, praef. ad schol. Nicandr. pg. 1.

grammaticum, cuius in Homerum, Theocritum, Nicandrum, Callimachum, Lycophronem, Apollonium Rhodium commentarios atque lexicon comicum partim auctoris nomine ipso addito, partim maximaque ex parte ita scholiis lexicisque etiamnunc servatis comprehenduntur, ut, cui vindicanda sint singula, vix disquirere possis, vere dignum esse, qui ex situ et tenebris suscitetur quadamque in luce collocetur.

Quod negotium eo lubentius suscepi, quo magis colligendis deperditorum veterum scriptorum monumentis par est adiuvare illos viros, qui multa doctrina acutoque ingenio praediti difficilem et molestissimam eam provinciam suscipere cogitant, ut historiam conscribant omnium grammaticorum huc usque frustra requisitam. Itaque summo erit mihi gaudio, si illi, quam ipse Theoni grammatico iuvenilibus viribus quantum fieri potuit impertivi curam, eam non sine felici successu me consumpsisse iudicaverint.

NOV 10 1892

MAY 7 1913




Gt 37.25
De Theone grammatico ejusque reliqu
Widener Library 005592884
3 2044 085 172 005